

ÉRTEKEZÉSEK
A NYELV- ÉS SZÉPTUDOMÁNYOK KÖRÉBŐL.

KIADJA A MAGYAR TUD. AKADÉMIA.

AZ I. OSZTÁLY RENDELETÉBŐL

SZERKESZTI

SZINNYEI JÓZSEF
OSZTÁLYTITKÁR.

XXIV. KÖTET 2. SZÁM.

P. OVIDII NASONIS
REMEDIA AMORIS

ADNOTATIONIBUS EXEGETICIS INSTRUIT


GEYZA NÉMETHY
ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE SODALIS ORDINARIUS

*Commentatio in consessu Aeademiae Litt. Hung.
die 3. Nov. ann. 1919. recitata.*

Ára 30 korona.

BUDAPEST.

1921.



P. OVIDII NASONIS REMEDIA AMORIS

ADNOTATIONIBUS EXEGETICIS INSTRUXIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE SODALIS ORDINARIUS

*Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.
die 3. Nov. ann. 1919. recitata.*

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE

MCMXXI

Praefatio.

Iam pridem mihi proposui ea Ovidii opera, quae huc usque iusto commentario exegetico carebant, adnotationibus instruenda eo potissimum consilio, ut in interpretatione quae dicitur verbali non solum virorum doctorum, sed etiam civium Academicorum rationibus consulerem praeceptor inventutis et amicus. Ita edidi sumptibus Academiae Litterarum Hungaricae primo *Amorum* libros (Budapestini an. 1907.), deinde commentarios exegeticos ad *Tristia* (ibid. an. 1913.) et ad *Epistulas ex Ponto* (ibid. 1915.); nunc autem emitto postremum huius generis opus, *Remedia Amoris* notis illustrata.

In verbis poetae constituendis nunc quoque Ehwaldium secutus sum ducem locosque, ubi a praestantissima eius recensione (Lipsiae apud Teubnerum publici iuris facta) secedendum putavi, hic afferam.*)

V. 13. *amat*: codices: *amans*, scripsit Ehwald. — V. 13. *ardens*: Puteaneus: *ardet*. — V. 111. *Qua*: Etonensis: *quam*. V. 268. *at*: scripsi cum priscis editonibus, desideratur enim coniunctio adversativa: *et*. — V. 282. *alius*: scripsi cum editionibus priscis: *aliquis*. — V. 282. *Rhesus*: codex Puteaneus: *rursus*. — V. 283. *hic pax*: Etonensis: *et pax*. — V. 350. *multos*: recepi vulgatam lectionem, cum manifesto de viris muliebri forma captis agatur: *multas*. — V. 351. *sua cum linet*: Etonensis: *cum conlinit*. — V. 392. *capiunt*: Etonensis: *capiunt*. — V. 440. *experienda*: codex Puteaneus, quod optimum efficit sensum: *expedienda*. — V. 446. *Saevaeque*: ex optima R. Merkelii coniectura, epitheton solitum flammae, ut supra vs. 53; *Haesaeque*: codex Regius manu prima; *Cassaeque*: codex idem manu secunda et Ehwald. — V. 446. *diducto*: Puteaneus rectissime,

*) Cf. etiam Vollmeri commentationem: *Kritischer Apparat zu Ovids Remedia*, in ephemeride *Hermes*, ann. 1917. p. 453.

agitur enim de lignis ardentibus dispergendis : *seducto*. — V. 467. *id* : Puteaneus optime, desideratur enim obiectum sententiae : *ut*. — V. 475. *formae* : scripsi, ut dativus cum *proxima*, *illius* (gen. poss.) autem cum *formae* iungatur : *forma*. — V. 478. *sentiet* : Regius et Etonensis : *sentiat*. — V. 487. *tu* : Etonensis : *i*. — V. 537. *I, fruere* : Etonensis : *Perfruere* : codex Scaligeri. — V. 699. *furiales* : vulgata lectio, epitheton aptissimum ad *sagittas* pertinens ; *furiali* : codices omnes : *frustrari* : Ehwald ex coniectura. — V. 700. *rapidas* : vulgata lectio, epitheton aptissimum ad *faces* pertinens : *raptas*. — V. 725. *saepe* : Regius et Etonensis : *muta*. — V. 729. *Admonitu* : codex Puteaneus, ut supra vs. 662 : „admonitu liber aberrat amor“ : *Admonitus*. — V. 756. *Qua* : ex mea coniectura, pronomen relativum cum *arte* iungendum ; *caveas* autem non ad verbum cavendi, sed ad substantivum *cavea* referendum : *Quid* : codices, quod explicari nequit. — V. 758. *impius* : Etonensis : *ipsius* : Regius.

Quibus de ratione edendi quam brevissime praemissis restat, ut hunc libellum, commentariorum meorum Ovidio sacra-
torum ultimum, benevolentiae virorum doctorum saepius mihi
in his curis Nasonianis expertae ea, qua par est, reverentia
commendem.

P. Ovidi Nasonis Remedia amoris.

Legerat huius Amor titulum nomenque libelli :

„Bella mihi, video, bella parantur“ ait.

„Parce tuum vatem sceleris damnare, Cupido,

Tradita qui totiens te duce signa tuli :

⁵ Non ego Tydides, a quo tua saucia mater

In liquidum rediit aethera Martis equis.

Saepe tepent alii iuvenes, ego semper amavi,

Et si, quid faciam nunc quoque, quaeris, amo.

Quin etiam docui, qua posses arte parari,

¹⁰ Et quod nunc ratioſt, impetus ante fuit.

Nec te, blande puer, nec nostras prodimus artes,

Nec nova praeteritum Musa relexit opus.

Siquis amat, quod amare iuvat, feliciter ardens,

Gaudeat et vento naviget ille suo ;

- ¹⁵ At siquis male fert indignae regna puellae,
 Ne pereat, nostrae sentiat artis opem!
 Cur aliquis laqueo collum nodatus amator
 A trabe sublimi triste pependit onus?
 Cur aliquis rigido fodit sua pectora ferro?
²⁰ Invidiam caedis, pacis amator, habes.
 Qui, nisi desierit, misero periturus amorem,
 Desinat: et nulli funeris auctor eris.
 Et puer es, nec te quicquam nisi ludere oportet:
 Lude! decent annos mollia regna tuos.
²⁵ Nam poteras uti nudis ad bella sagittis!
 Sed tua mortifero sanguine tela carent.
 Vitricus et gladiis et acuta dimicet hasta,
 Et victor multa caede cruentus eat:
 Tu cole maternas, tuto quibus utimur, artes,
³⁰ Et quarum vitio nulla fit orba parens!
 Effice, nocturna frangatur ianua rixa,
 Et tegat ornatas multa corona fores;
 Fac, coeant furtim iuvenes timidaeque puellae
 Verbaque dent cauto qualibet arte viro,
³⁵ Et modo blanditias, rigido modo iurgia posti
 Dicat et exclusus flebile cantet amans!
 His lacrimis contentus eris sine crimine mortis:
 Non tua fax avidos digna subire rogos.
 Haec ego; movit Amor gemmatas aureus alas
⁴⁰ Et mihi „propositum perfice“ dixit „opus!“
 Ad mea, decepti iuvenes, praecepta venite,
 Quos suus ex omni parte fefellit amor;
 Discite sanari, per quem didicistis amare:
 Una manus vobis vulnus opemque feret.
⁴⁵ Terra salutares herbas eademque nocentes
 Nutrit, et urticae proxima saepe rosast.
 Vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoste,
 Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.
 Sed quaecumque viris, vobis quoque dicta, puellae,
⁵⁰ Credite! diversis partibus arma damus,
 E quibus ad vestros siquid non pertinet usus,
 Attamen exemplo multa docere potest.

- Utile propositumst saevas extinguere flammās
 Nec servum vitij pectus habere sui:
- ⁵⁵ Vixisset Phyllis, si me foret usa magistro,
 Et per quod noviens, saepius isset iter;
 Nec moriens Dido summa vidisset ab arce
 Dardanias vento vela dedisse rates;
 Nec dolor armasset contra sua viscera matrem,
- ⁶⁰ Quae socii damno sanguinis ulta virumst;
 Arte mea Tereus, quamvis Philomela placeret,
 Per facinus fieri non meruisset avis.
 Da mihi Pasiphaen: iam tauri ponet amorem;
 Da Phaedram: Phaedrae turpis abibit amor;
- ⁶⁵ Redde Parim nobis: Helenen Menelaus habebit,
 Nec manibus Danaïs Pergama victa cadent;
 Inpia si nostros legisset Scylla libellos,
 Haesisset capiti purpura, Nise, tuo.
 Me duce damnosās, homines, conpescite curas,
- ⁷⁰ Rectaque cum sociis me duce navis eat!
 Naso legendus erat tum, cum didicistis amare:
 Idem nunc vobis Naso legendus erit.
 Publicus assertor dominis suppressa levabo
 Pectora: vindictae quisque favete suae!
- ⁷⁵ Te precor incipiens, adsit tua laurea nobis,
 Carminis et medicae, Phoebe, repertor opis;
 Tu pariter vati, pariter succurre medenti:
 Utraque tutelae subdita cura tuaest.
 Dum licet, et modici tangunt praecordia motus,
- ⁸⁰ Si piget, in primo limine siste pedem;
 Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi,
 Et tuus, incipiens ire, resistat equus!
 Nam mora dat vires: teneras mora percoquit uvas
 Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
- ⁸⁵ Quae praebet latas arbor spatiantibus umbras,
 Quo positast primum tempore, virga fuit:
 Tum poterat manibus summa tellure revelli:
 Nunc stat in inmensum viribus acta suis.
 Quale sit id, quod amas, celeri circumspice mente
- ⁹⁰ Et tua laesuro subtrahe colla iugo.

- Principiis obsta : sero medicina paratur,
 Cum mala per longas convaluere moras.
 Sed propera nec te venturas differ in horas :
 Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
- ⁹⁵ Verba dat omnis amor reperitque alimenta morando :
 Optima vindictae proxima quaeque dies.
 Flumina pauca vides de magnis fontibus orta :
 Plurima collectis multiplicantur aquis ;
 Si cito sensisses, quantum peccare parares,
- ¹⁰⁰ Non tegeres vultus cortice, Myrrha, tuos.
 Vidi ego, quod fuerat primo sanabile, vulnus
 Dilatum longae damna tulisse morae ;
 Sed quia delectat Veneris decerpere fructum,
 Dicimus adsidue „cras quoque fiet idem“.
- ¹⁰⁵ Interea tacitae serpunt in viscera flammae,
 Et mala radices altius arbor agit.
 Si tamen auxilii perierunt tempora primi,
 Et vetus in capto pectore sedit amor,
 Maius opus superest ; sed non, quia serior aegro
- ¹¹⁰ Advocor, ille mihi destituendus erit.
 Qua laesus fuerat, partem Poeantius heros
 Certa debuerat praesecuisse manu ;
 Post tamen hic multos sanatus creditur annos
 Supremam bellis inposuisse manum :
- ¹¹⁵ Qui modo nascentis properabam pellere morbos,
 Admoveo tardam nunc tibi lentus opem.
 Aut nova, si possis, sedare incendia temptes,
 Aut ubi per vires procubuerunt suas ;
 Cum furor in cursust, currenti cede furori !
- ¹²⁰ Difficiles aditus impetus omnis habet.
 Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit,
 Pugnat in adversas ire natator aquas.
 Inpatiens animus nec adhuc tractabilis arte
 Respuat atque odio verba monentis habet ;
- ¹²⁵ Aggrediar melius tum, cum sua vulnera tangi
 Iam sinet et veris vocibus aptus erit.
 Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
 Flere vetet ? non hoc illa monenda locost ;

- Cum dederit lacrimas animumque inpleverit aegrum,
¹³⁰ Ille dolor verbis emoderandus erit.
Temporis ars medicina ferest: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent;
Quin etiam accendas vitia inritesque vetando,
Temporibus si non adgrediare suis.
- ¹³⁵ Ergo ubi visus eris nostrae medicabilis arti,
Fac monitis fugias otia prima meis:
Haec, ut ames, faciunt; haec, ut fecere, tuentur;
Haec sunt iucundi causa cibusque mali;
Otia si tollas, periire Cupidinis arcus,
¹⁴⁰ Contemptaeque iacent et sine luce faces.
Quam platanus vino gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo,
Tam Venus otia amat: qui finem quaeris amoris,
(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.
- ¹⁴⁵ Languor et inmodici sub nullo vindice somni
Aleaque et multo tempora quassa mero
Eripiunt omnes animo sine vulnere nervos:
Adfluit incautis insidiosus Amor.
Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes:
¹⁵⁰ Da vacuae menti, quo teneatur, opus!
Sunt fora, sunt leges, sunt, quos iuearis, amici.
Vade per urbanae splendida castra togae;
Vel tu sanguinei iuvenalia munera Martis
Suscipe: deliciae iam tibi terga dabunt!
- ¹⁵⁵ Ecce, fugax Parthus, magni nova causa triumphi,
Iam videt in campis Caesaris arma suis:
Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas
Et refer ad patrios bina tropaea deos!
Ut semel Aetola Venus est a cuspide laesa,
¹⁶⁰ Mandat amatori bella gerenda suo.
Quaeritis, Aegisthus quare sit factus adulter;
In promptu causast: desidiosus erat.
Pugnabant alii tardis apud Ilion armis;
Transtulerat vires Graecia tota suas:
¹⁶⁵ Sive operam bellis vellet dare, nulla gerebat,
Sive foro, vacuum litibus Argos erat;

- Quod potuit, ne nil illic ageretur, amavit!
 Sic venit ille puer, sic puer ille manet.
 Rura quoque oblectant animos studiumque colendi:
 170 Quaelibet huic curae cedere cura potest.
 Colla iube domitos oneri supponere tauros,
 Sauciet ut duram vomer aduncus humum;
 Obrue versata Cerealia semina terra,
 Quae tibi cum multo faenore reddat ager,
 175 Adspice curvatos pomorum pondere ramos,
 Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus;
 Adspice labentes iucundo murmure rivos;
 Adspice tondentes fertile gramen oves!
 Ecce, petunt rupes praeruptaque saxa capellae:
 180 Iam referent haedis ubera plena suis.
 Pastor inaequali modulatur harundine carmen,
 Nec desunt comites, sedula turba, canes.
 Parte sonant alia silvae mugitibus altae,
 Et queritur vitulum mater abesse suum.
 185 Quid, cum suppositos fugiunt examina fumos,
 Ut relevent dempti vimina curva favi?
 Poma dat autumnus; formosast messibus aestas;
 Ver praebet flores; igne levatur hiemps.
 Temporibus certis maturam rusticus uvam
 190 Deligit, et nudo sub pede musta fluunt;
 Temporibus certis desectas alligat herbas,
 Et tonsam raro pectine verrit humum.
 Ipse potes riguis plantam deponere in hortis,
 Ipse potes rivos ducere lenis aquae.
 195 Venerit insitio: fac, ramum ramus adoptet,
 Stetque peregrinis arbor operata comis.
 Cum semel haec animum coepit mulcere voluptas,
 Debilibus pinnis inritus exit Amor.
 Vel tu venandi studium cole: saepe recessit
 200 Turpiter a Phoebi victa sorore Venus;
 Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci,
 Nunc tua frondosis retia tende iugis;
 Aut pavidos terre varia formidine cervos,
 Aut cadat adversa cuspide fossus aper;

- ²⁰⁵ Nocte fatigatum somnus, non cura puellae
Excipit et pingui membra quiete levat.
Lenius est studium, studium tamen, alite capta
Aut lino aut calamis praemia parva sequi,
Vel, quae piscis edax avido male devoret ore,
²¹⁰ Abdere sub parvis aera recurva cibis.
Aut his aut aliis, donec dediscis amare,
Ipse tibi furtim decipiendus eris.
Tu tantum, quamvis firmis retinere vinclis,
I procul et longas carpere perge vias!
²¹⁵ Flebis, et occurret desertae nomen amicae,
Stabit et in media pes tibi saepe via;
Sed quanto minus ire voles, magis ire memento:
Perfer et invitos currere coge pedes!
Nec pluvias opta, nec te peregrina morentur
²²⁰ Sabbata nec damnis Allia nota suis;
Nec quot transieris, sed quot tibi, quaere, supersint
Milia, nec, maneat ut prope, finge moras;
Tempora nec numera nec crebro respice Romam,
Sed fuge: tutus adhuc Parthus ab hoste fugast.
²²⁵ Dura aliquis praecepta vocet mea: dura fatemur
Esse, sed ut valeas, multa dolenda ferēs.
Saepe bibi sucos, quamvis invitus. amarus
Aeger, et oranti mensa negata mihi.
Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes
²³⁰ Arida nec sitiens ora levabis aqua:
Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore maius habet.
Sed tamen est artis tristissima ianua nostrae,
Et labor est unus, tempora prima pati.
²³⁵ Adspicis, ut prensos urant iuga prima iuencos,
Et nova velocem cingula laedat equum?
Forsitan a Laribus patriis exire pigebit:
Sed tamen exhibis; deinde redire voles,
Nec te Lar patrius, sed amor revocabit amicae
²⁴⁰ Praetendens culpae splendida verba tuae.
Cum semel exieris, centum solacia curae
Et rus et comites et via longa dabit;

- Nec salis esse putes discedere: lentus abesto,
 Dum perdat vires sitque sine igne cinis;
²⁴⁵ Quod nisi firmata properaris mente reverti,
 Inferet arma tibi saeva rebellis Amor;
 Quidquid et afueris, avidus sitiensque redibis,
 Et spatium damno cesserit omne tuo!
 Viderit, Haemoniae siquis mala pabula terrae
²⁵⁰ Et magicas artes posse iuvare putat;
 Ista veneficii vetus est via; noster Apollo
 Innocuam sacro carmine monstrat opem.
 Me duce non tumulo prodire iubebitur umbra,
 Non anus infami carmine rumpet humum,
²⁵⁵ Non seges ex aliis alios transibit in agros,
 Nec subito Phoebi pallidus orbis erit;
 Ut solet, aequoreas ibit Tiberinus in undas,
 Ut solet, in niveis Luna vehetur equis.
 Nulla recantatas deponent pectora curas,
²⁶⁰ Nec fugiet vivo sulphure victus amor.
 Quid te Phasiacae iuverunt gramina terrae,
 Cum cuperes patria, Colchi, manere domo?
 Quid tibi profuerunt, Circe, Perseides herbae,
 Cum sua Neritias abstulit aura rates?
²⁶⁵ Omnia fecisti, ne callidus hospes abiret:
 Ille dedit certae lintea plena fugae;
 Omnia fecisti, ne te ferus ureret ignis:
 Longus at invito pectore sedit amor;
 Vertere tu poteras homines in mille figuras:
²⁷⁰ Non poteras animi vertere iura tui;
 Diceris his etiam, cum iam discedere vellet,
 Dulichium verbis detinuisse ducem:
 „Non ego, quod primo, memini, sperare solebam,
 Iam precor, ut coniunx tu meus esse velis,
²⁷⁵ Et tamen, ut coniunx essem tua, digna videbar,
 Quod dea, quod magni filia Solis eram:
 Ne properes, oro; spatium pro munere posco:
 Quid minus optari per mea vota potest?
 Et freta mota vides et debes illa timere:
²⁸⁰ Utilior velis postmodo ventus erit.

- Quae tibi causa fugae? non hic nova Troia resurgit;
Non alius socios Rhesus ad arma vocat;
Hic amor, hic pax est, in qua male vulneror una,
Totaque sub regno terra futura tuost.“
- 285 Illa loquebatur, navem solvebat Ulixes:
Inrita cum velis verba tulere Noti.
Ardet et adsuetas Circe decurrit ad artes,
Nec tamen est illis adtenuatus amor.
Ergo, quisquis opem nostra tibi poscis ab arte,
- 290 Deme veneficiis carminibusque fidem!
Si te causa potens domina retinebit in Urbe,
Accipe, consilium quod sit in Urbe meum:
Optimus ille fuit vindex, laedentia pectus
Vincula qui rupit dedoluitque semel;
- 295 Sicui tantum animist, illum mirabor et ipse
Et dicam „monitis non eget iste meis.“
Tu mihi, qui, quod amas, aegre dediscis amare
Nec potes et velles posse, docendus eris.
Saepe refer tecum sceleratae facta puellae
- 300 Et pone ante oculos omnia damna tuos.
„Illud et illud habet nec ea contenta rapinast;
Sub titulum nostros misit avara Lares;
Sic mihi iuravit, sic me iurata fefellit,
Ante suas quotiens passa iacere fores!
- 305 Diligit ipsa alios, a me fastidit amari:
Institor, heu! noctes, quas mihi non dat, habet!“
Haec tibi per totos inacescant omnia sensus,
Haec refer, hinc odii semina quaere tui!
Atque utinam possis etiam facundus in illis
- 310 Esse! dole tantum: sponte disertus eris.
Haeserat in quadam nuper mea cura puella:
Conveniens animo non erat illa meo;
Curabar propriis aeger Podalirius herbis
Et, fateor, medicus turpiter aeger eram.
- 315 Profuit adsidue vitiis insistere amicae,
Idque mihi factum saepe salubre fuit.
„Quam mala* dicebam „nostrae sunt crura puellae!“
Nec tamen, ut vere confiteamur, erant;

- Bracchia quam non sunt nostrae formosa puellae!“
- ³²⁰ Et tamen, ut vere confiteamur, erant;
 „Quam brevis est;“ nec erat. „quam multum poscit amantem!“
 Haec odio venit maxima causa meo.
 Et mala sunt vicina bonis; errore sub illo
 Pro vitio virtus crimina saepe tulit.
- ³²⁵ Qua potes, in peius dotes deflecte puellae
 Iudiciumque brevi limite falle tuum.
 Turgida, si plenast, si fuscast, nigra vocetur;
 In gracili macies crimen habere potest;
 Et poterit dici petulans, quae rustica non est,
- ³³⁰ Et poterit dici rustica, siqua probast.
 Quin etiam, quacumque caret tua femina dote,
 Hanc moveat, blandis usque precare sonis:
 Exige, uti cantet, siquast sine voce puella;
 Fac, saltet, nescit siqua movere manum!
- ³³⁵ Barbara sermonest: fac, tecum multa loquatur;
 Non didicit chordas tangere: posce lyram!
 Durius incedit: fac, inambulet; omne papillae
 Pectus habent: vitium fascia nulla tegat!
 Si male dentatast, narra, quod rideat, illi;
- ³⁴⁰ Mollibus est oculis: quod fleat illa, refer!
 Proderit et subito, cum se non finxerit ulli,
 Ad dominam celeres mane tulisse gradus;
 Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
 Omnia; pars minimast ipsa puella sui.
- ³⁴⁵ Saepe, ubi sit, quod ames, inter tam multa, requiras:
 Decipit hac oculos aegide dives Amor.
 Improvisus ades: deprendes tutus inermem;
 Infelix vitiis excidet illa suis.
 Non tamen huic nimium praecepto credere tutumst:
- ³⁵⁰ Fallit enim multos forma sine arte decens.
 Tum quoque, compositis sua cum linet ora venenis,
 Ad dominae vultus (nec pudor obstat!) eas:
 Pyxidas invenies et rerum mille colores,
 Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus;
- ³⁵⁵ Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas:
 Non semel hinc stomacho nausea facta meost.

- Nunc tibi, quae medio Veneris praestemus in usu,
 Eloquar: ex omnist parte fugandus Amor.
 Multa quidem ex illis pudor est mihi dicere, sed tu
³⁶⁰ Ingenio verbis concipe plura meis;
 Nuper enim nostros quidam carpsere libellos,
 Quorum censura Musa proterva meast:
 Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe,
 Quod volet, impugnent unus et alter opus!
³⁶⁵ Ingenium magni livor detractat Homeri:
 Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes;
 Et tua sacrilegae laniarunt carmina linguae,
 Pertulit huc victos quo duce Troia deos.
 Summa petit livor: perflant altissima venti;
³⁷⁰ Summa petunt dextra fulmina missa Iovis.
 At tu, quicumque es, quem nostra licentia laedit,
 Si sapis, ad numeros exige quidque suos:
 Fortia Maeonio gaudent pede bella referri;
 Delictis illic quis locus esse potest?
³⁷⁵ Grande sonant tragici: tragicos decet ira cothurnos;
 Usibus e mediis soccus habendus erit;
 Liber in adversos hostes stringatur iambus,
 Seu celer, extremum seu trahat ille pedem;
 Blanda pharetratos Elegeia cantet Amores
³⁸⁰ Et levis arbitrio ludat amica suo!
 Callimachi numeris non est dicendus Achilles,
 Cydippe non est oris, Homere, tui.
 Quis feret Andromaches peragentem Thaida partes?
 Peccat, in Andromache Thaida quisquis agat.
³⁸⁵ Thais in arte meast: lascivia libera nostrast;
 Nil mihi cum vitta: Thais in arte meast.
 Si mea materiae respondet Musa iocosae,
 Vicinus, et falsi criminis acta reast.
 Rumpere, Livor edax: magnum iam nomen habemus;
³⁹⁰ Maius erit, tantum, quo pede coepit, eat!
 Sed nimium properas: vivam modo, plura dolebis;
 Et capient animi carmina multa mei.
 Nam iuvat et studium famae mihi crevit honore:
 Principio clivi noster anhelat equus;

- 395 Tantum se nobis elegi debere fatentur,
 Quantum Vergilio nobile debet epos.
 Hactenus invidiae respondimus: attrahe lora
 Fortius et gyro curre, poeta, tuo!
 Ergo ubi concubitus et opus iuvenale petetur,
 400 Et prope promissae tempora noctis erunt,
 Gaudia ne dominae, pleno si corpore sumes,
 Te capiant, in eas quamlibet ante, velim;
 Quamlibet invenias, in qua tua prima voluptas
 Desinat: a prima proxima segnis erit.
 405 Sustentata Venus gratissima: frigore soles,
 Sole iuvant umbrae, grata fit unda siti.
 Et pudet, et dicam: Venerem quoque iunge figura,
 Qua minime iungi quamque decere putas;
 Nec labor efficerest: rarae sibi vera fatentur,
 410 Et nihil est, quod se dedecuisse putent;
 Tunc etiam iubeo totas aperire fenestras
 Turpiaque admisso membra notare die.
 At simul ad metas venit finita voluptas,
 Lassaque cum tota corpora mente iacent,
 415 Dum piget, et malis nullam tetigisse puellam
 Tactusque tibi non videre diu,
 Tunc animo signa, quodcumque in corpore mendumst,
 Luminaque in vitiis illius usque tene;
 Forsitan haec aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit,
 420 Sed quae non prosunt singula, multa iuvant:
 Parva necat morsu spatiosum vipera taurum;
 A cane non magno saepe tenetur aper.
 Tu tantum numero pugna praeceptaque in unum
 Contrahe: de multis grandis acervus erit.
 425 Sed quoniam totidem mores totidemque figurae,
 Non sunt iudiciis omnia danda meis;
 Quo tua non possunt offendi pectora facto,
 Forsitan hoc alio iudice crimen erit.
 Ille quod obscenas in aperto corpore partes
 430 Viderat, in cursu qui fuit, haesit amor,
 Ille quod a Veneris rebus surgente puella
 Vidit in immundo signa pudenda toro.

- Luditis, o siquos potuerunt ista movere :
Adflarant tepidae pectora vestra faces.
385 Adtrahet ille puer contentos fortius arcus ;
Saucia maiorem turba petetis opem.
Quid, qui clam latuit reddente obscena puella
Et vidit, quae mos ipse videre vetat ?
Di melius, quam nos moneamus talia quemquam !
410 Ut prosint, non sunt experienda tamen.
Hortor et, ut pariter binas habeatis amicas :
Fortior est, plures siquis habere potest ;
Secta bipertito cum mens discurrit utroque,
Alterius vires subtrahit alter amor :
445 Grandia per multos tenuantur flumina rivos,
Saevaque diducto stipite flamma perit ;
Non satis una tenet ceratas ancora puppes,
Nec satis est liquidis unicus hamus aquis.
Qui sibi iam pridem solacia bina paravit,
450 Iam pridem summa victor in arce fuit ;
At tibi, qui fueris dominae male creditus uni,
Nunc saltem novus est inveniendus amor :
Pasiphaes Minos in Procride perdidit ignes ;
Cessit ab Idaea coniuge victa prior ;
455 Amphilochi frater ne Phegida semper amaret,
Callirhoe fecit parte recepta tori ;
Et Parin Oenone summos tenuisset ad annos,
Si non Oebalia paelice laesa foret ;
Coniugis Odrysio placuisset forma tyranno :
460 Sed melior clausae forina sororis erat.
Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat ?
Successore novo vincitur omnis amor ;
Fortius e multis mater desiderat unum
Quam quem flens clamat „tu mihi solus eras.“
465 Et ne forte putes nova me tibi condere iura :
(Atque utinam inventi gloria nostra foret !)
Vidit id Atrides : quid enim non ille videret,
Cuius in arbitrio Graecia tota fuit ?
Marte suo captam Chryseida victor amabat,
470 At senior stulte flebat ubique pater ;

- Quid lacrimas, odiose senex? bene convenit illis:
 Officio natam laedis, inepte, tuo.
 Quam postquam reddi Calchas ope tutus Achilles
 lusserat, et patriast illa recepta domo,
⁴⁷⁵ „Est“ ait Atrides „illius proxima formae
 Et, si prima sinat syllaba, nomen idem:
 Hanc mihi, si sapiat, per se concedat Achilles;
 Si minus, imperium sentiet ille meum!
 Quod siquis vestrum factum hoc accusat, Achivi,
⁴⁸⁰ Est aliquid valida sceptrum tenere manu:
 Nam si rex ego sum, nec mecum dormiat ulla,
 In mea Thersites regna licebit eat.“
 Dixit et hanc habuit solacia magna prioris,
 Et positast cura cura repulsa nova.
⁴⁸⁵ Ergo adsume novas auctore Agamemnone flammas,
 Ut tuus in bivio distineatur amor!
 Quaeris, ubi invenias: artes, tu perlege nostras:
 Plena puellarum iam tibi navis erit.
 Quod siquid praecepta valent mea, siquid Apollo
⁴⁹⁰ Utile mortales perdocet ore meo,
 Quamvis infelix media torreberis Aetna,
 Frigidior glacie fac videre tuae;
 Et sanum simula, ne, siquid forte dolebis,
 Sentiat, et ride, cum tibi flendus eris.
⁴⁹⁵ Non ego te iubeo medias abrumpere curas:
 Non sunt imperii tam fera iussa mei.
 Quod non est, simula positosque imitare furores:
 Sic facies vere, quod meditatus eris.
 Saepe ego, ne biberem, volui dormire videri:
⁵⁰⁰ Dum videor, somno lumina victa dedi.
 Deceptum risi, qui se simulabat amare
 In laqueos auceps decideratque suos.
 Intrat amor mentes usu, dediscitur usu:
 Qui poterit sanum fingere, sanus erit.
⁵⁰⁵ Dixerit, ut venias: pacta tibi nocte venito;
 Veneris, et fuerit ianua clausa: feres;
 Nec dic blanditias nec fac convicia posti
 Nec latus in duro limine pone tuum;

- Postera lux aderit: careant tua verba querelis,
510 Et nulla in vultu signa dolentis habe!
Iam ponet fastus, cum te languere videbit:
Hoc etiam nostra munus ab arte feres.
Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi
Propositus: frenis saepe repugnat equus.
515 Utilitas lateat, quod non profitebere, fiet:
Quae nimis apparent retia, vitat avis.
Nec sibi tam placeat nec te contemnere possit!
Sume animos, animis cedat ut illa tuis!
Ianua forte patet: quamvis revocabere, transi;
520 Est data nox: dubita nocte venire data!
Posse pati facilest, ubi, ni sapientia desit,
Protinus ex facili gaudia ferre licet.
Et quisquam praecepta potest mea dura vocare?
En, etiam partes conciliantis ago.
525 Nam quoniam variant animi, variabimus artes:
Mille mali species, mille salutis erunt.
Corpora vix ferro quaedam sanantur acuto;
Auxilium multis sucus et herba fuit.
Mollior es neque abire potes vinctusque teneris,
530 Et tua saevus Amor sub pede colla premit:
Desine luctari! referent tua carbasa venti;
Quaque vocant fluctus, hac tibi remus eat!
Explendast sitis ista tibi, qua perditus ardes:
Cedimus; e medio iam licet amne bibas.
535 Sed bibe plus etiam, quam quod praecordia poscunt;
Guttare fac pleno sumpta redundet aqua!
I, fruire usque tua nullo prohibente puella:
Illa tibi noctes auferat, illa dies.
Taedia quaere mali: faciunt et taedia finem;
540 Iam quoque, cum credes posse carere, mane,
Dum bene te cumules et copia tollat amorem,
Et fastidita non iuvet esse domo.
Fit quoque longus amor, quem diffidentia nutrit:
Hunc tu si quaeres ponere, pone metum!
545 Qui timet, ut sua sit, nequis sibi detrahat illam,
Ille Machaonia vix ope sanus erit:

- Plus amat e natis mater plerumque duobus,
 Pro cuius reditu, quod gerit arma, timet.
 Est prope Collinam templum venerabile portam
⁵⁵⁰ (Inposuit templo nomina celsus Eryx):
 Est illic Lethaeus Amor, qui pectora sanat
 Inque suas gelidam lampadas addit aquam;
 Illic et iuvenes votis obliviam poscunt,
 Et siquast duro capta puella viro.
⁵⁵⁵ Is mihi sic dixit (dubito, verusne Cupido,
 An somnus fuerit; sed puto, somnus erat):
 „O qui sollicitos modo das, modo demis amores,
 Adice praeceptis hoc quoque, Naso, tuis:
 Ad mala quisque animum referat sua, ponet amorem;
⁵⁶⁰ Omnibus illa deus plusve minusve dedit.
 Qui Puteal lanumque timet celeresque Kalendas
 Torqueat hunc aeris mutua summa sui;
 Cui durus pater est, ut voto cetera cedant,
 Huic pater ante oculos durus habendus erit;
⁵⁶⁵ Hic male dotata pauper cum coniuge vivit:
 Uxorem fato credat obesse suo;
 Est tibi rure bono generosae fertilis uvae
 Vineae: ne nascens usta sit uva, time;
 Ille habet in reditu navim; mare semper iniquum
⁵⁷⁰ Cogitet et damno litora foeda suo;
 Filius hunc miles, te filia nubilis angat!
 Et quis non causas mille doloris habet?
 Ut posses odisse tuam, Pari, funera fratrum
 Debueras oculis substituuisse tuis.“
⁵⁷⁵ Plura loquebatur: placidum puerilis imago
 Destituit somnum, si modo somnus erat.
 Quid faciam? media navim Palinurus in unda
 Deserit; ignotas cogor inire vias.
 Quisquis amas, loca sola nocent: loca sola caveto!
⁵⁸⁰ Quo fugis? in populo tutior esse potes.
 Non tibi secretis (augent secreta furores)
 Est opus; auxilio turba futura tibist.
 Tristis eris, si solus eris, dominaeque relictæ
 Ante oculos facies stabil, ut ipsa, tuos;

- ⁵⁸⁵ Tristior idcirco nox est, quam tempora Phoebi:
 Quae relevet luctus, turba sodalis abest.
 Nec fuge conloquium, nec sit tibi ianua clausa,
 Nec tenebris vultus flebilis abde tuos.
 Semper habe Pyladen aliquem, qui curet Orestem:
⁵⁹⁰ Hic quoque amicitiae non levis usus erit.
 Quid, nisi secretae laeserunt Phyllida silvae?
 Certa necis causast: inomitata fuit.
 Ibat, ut Edono referens trieterica Baccho
 Ire solet fuis barbara turba comis,
⁵⁹⁵ Et modo, qua poterat, longum spectabat in aequor,
 Nunc in harenosa lassa iacebat humo.
 „Perfide Demophoon!“ surdas clamabat ad undas,
 Ruptaque singultu verba loquentis erant.
 Limes erat tenuis longa subnubilus umbra,
⁶⁰⁰ Qua tulit illa suos ad mare saepe pedes.
 Nona terebatur miserae via: „viderit!“ inquit
 Et spectat zonam pallida facta suam,
 Adspicit et ramos; dubitat refugitque, quod audet;
 Et timet et digitos ad sua colla refert.
⁶⁰⁵ Sithoni, tunc certe vellem non sola fuisses:
 Non flesset positis Phyllida silva comis.
 Phyllidis exemplo nimium secreta timete,
 Laese vir a domina, laesa puella viro!
 Praestiterat iuvenis, quidquid mea Musa iubebat,
⁶¹⁰ Inque suae portu paene salutis erat:
 Reccidit. ut cupidos inter devenit amantes,
 Et. quae condiderat, tela resumpsit Amor.
 Siquis amas nec vis, facito contagia vites:
 Haec etiam pecori saepe nocere solent.
⁶¹⁵ Dum spectant laesos oculi, laeduntur et ipsi
 Multaque corporibus transitione nocent;
 In loca nonnumquam siccis arentia glebis
 De prope currenti flumine manat aqua:
 Manat amor tectus, si non ab amante recedas,
⁶²⁰ Turbaque in hoc omnes ingeniosa sumus.
 Alter item iam sanus erat: vicinia laesit,
 Occursum dominae non tulit ille suae;

- Vulnus in antiquum rediit male firma cicatrix,
 Successumque artes non habuere meae.
- 625 Proximus a tectis ignis defenditur aegre:
 Utile finitimis abstinuisse locis.
 Nec, quae ferre solet spatiantem porticus illam,
 Te ferat, officium neve colatur idem.
 Quid iuvat admonitu tepidam recalescere mentem?
- 630 Alter, si possis, orbis habendus erit:
 Non facile esuriens posita retinere mensa,
 Et multam saliens incitat unda sitim;
 Non facilest taurum visa retinere iuvenca;
 Fortis equus visae semper adhinnit equae.
- 635 Haec ubi praestiteris, ut tandem litora tangas,
 Non ipsam satis est deseruisse tibi:
 Et soror et mater valeant et conscia nutrix,
 Et quisquis dominae pars erit ulla tuae;
 Nec veniat servus, nec flens ancillula fictum
- 640 Suppliciter dominae nomine dicat „have“!
 Nec si scire voles, quid agat, tamen, illa, rogabis:
 Perfer! erit lucro lingua retenta tuo.
 Tu quoque, qui causam finiti reddis amoris
 Deque tua domina multa querenda refers,
- 645 Parce queri: melius sic ulciscere tacendo,
 Ut desiderii effluat illa tuis.
 Et malim, taceas, quam te desisse loquaris:
 Qui nimium multis „non amo“ dicit, amat.
 Sed meliore fide paulatim extinguitur ignis,
- 650 Quam subito; lente desine: tutus eris.
 Flumine perpetuo torrens solet acrior ire;
 Sed tamen haec brevis est, illa perennis aqua.
 Fallat et in tenues evanidus exeat auras
 Perque gradus molles emoriatur amor.
- 655 Sed modo dilectam scelus est odisse puellam:
 Exi'us ingeniis convenit iste feris;
 Non curare sat est: odio qui finit amorem,
 Aut amat, aut aegre desinet esse miser.
 Turpe vir et mulier, iuncti modo, protinus hostes:
- 660 Non illas lites Appias ipsa probat.

- Saepe reas faciunt, et amant: ubi nulla simultas
 Incidit, admonitu liber aberrat amor.
 Forte aderam iuveni; dominam lectica tenebat;
 Horrebant saevis omnia verba minis;
 666 Iamque vadaturus „lectica prodeat“ inquit;
 Prodierat: visa coniuge mutus erat;
 Et manus et manibus duplices cecidere tabellae:
 Venit in amplexus atque ita „vincis“ ait.
 Tutius est aptumque magis discedere pace
 670 Nec petere a thalamis litigiosa fora.
 Munera, quae dederas, habeat sine lite, iubeto:
 Esse solent magno damna minora bono.
 Quod si vos aliquis casus conducet in unum,
 Mente memor tota, quae damus arma, tene.
 675 Nunc opus est armis; hic, o fortissime, pugna:
 Vincendast telo Penthesilea tuo;
 Nunc tibi rivalis, nunc durum limen amanti,
 Nunc subeant mediis inrita verba deis:
 Nec compone comas, quia sis venturus ad illam,
 680 Nec toga sit laxo conspicienda sinu;
 Nulla sit ut placeas alienae cura puellae:
 Iam facito, e multis una sit illa tibi!
 Sed quid praecipue nostris conatibus obstat?
 Eloquar exemplo quemque docente suo:
 685 Desinimus tarde, quia nos speramus amari;
 Dum sibi quisque placet, credula turba sumus.
 At tu nec voces (quid enim fallacius illis?)
 Crede nec aeternos pondus habere deos,
 Neve puellarum lacrimis moveare, caveto:
 690 Ut flerent, oculos erudiere suos.
 Artibus innumeris mens oppugnatur amantum,
 Ut lapis aequoreis undique pulsus aquis.
 Nec causas aperi, quare divortia malis,
 Nec dic, quid doleas; clam tamen usque dole!
 695 Nec peccata refer, ne diluat: ipse favebis,
 Ut melior causa causa sit illa tua.
 Qui silet, est firmus; qui dicit multa puellae
 Probra, satisfieri postulat ille sibi.

- Non ego Dulichio furiales more sagittas
⁷⁰⁰ Nec rapidas ausim tinguere in amne faces;
 Nec nos purpureas pueri resecabimus alas,
 Nec sacer arte mea laxior arcus erit;
 Consiliumst, quodcumque cano; parete canenti,
 Utque facis, coeptis, Phoebe saluber, ades!
⁷⁰⁵ Phoebus adest: sonuere lyrae, sonuere pharetrae;
 Signa deum nosco per sua: Phoebus adest.
 Confer Amyclaeis medicatum vellus aenis
 Murice cum Tyrio: turpius illud erit;
 Vos quoque formosis vestras conferte puellas:
⁷¹⁰ Incipiet dominae quemque pudere suae.
 Utraque formosae Paridi potuere videri:
 Sed sibi conlatam vicit utramque Venus.
 Nec solam faciem, mores quoque confer et artem:
 Tantum iudicio ne tuus obsit amor.
⁷¹⁵ Exiguumst, quod deinde canam; sed profuit illud
 Exiguum multis: in quibus ipse fui.
 Scripta cave relegas blandae servata puellae:
 Constantis animos scripta relecta movent.
 Omnia pone feros (pones invitus) in ignes
⁷²⁰ Et dic „ardoris sit rogos iste mei!“
 Thestias absentem succendit stipite natum:
 Tu timide flammae perfida verba dabis?
 Si potes, et ceras remove! quid imagine-muta
 Carperis? hoc periit Laudamia modo.
⁷²⁵ Et loca saepe nocent: fugito loca conscia vestri
 Concubitus; causas illa doloris habent.
 „Hic fuit, hic cubuit! thalamo dormimus in illo;
 Hic mihi lasciva gaudia nocte dedit!“
 Admonitu refricatur amor, vulnusque novatum
⁷³⁰ Scinditur: infirmis culpa pusilla nocet.
 Ut paene extinctum cinerem si sulphure tangas,
 Vivet et e minimo maximus ignis erit,
 Sic, nisi vitaris, quidquid renovabit amorem,
 Flamma redardescet, quae modo nulla fuit.
⁷³⁵ Argolides cuperent fugisse Capherea puppes,
 Teque, senex luctus ignibus ulte tuos;
 Praeterita cautus Niseide navita gaudet:

- Tu loca, quae nimium grata fuere, cave!
Haec tibi sint Syrtes; haec Acroceraunia vita;
740 Hic vomit epotas dira Charybdis aquas.
Sunt, quae non possunt aliquo cogente iuberi,
Saepe tamen casu facta iuvare solent.
Perdat opes Phaedra: parces, Neptune, nepoti,
Nec faciet pavidos taurus avitus equos.
745 Gnosida fecisses inopem, sapienter amasset:
Divitiis alitur luxuriosus amor.
Cur nemost, Hecalen, nullast, quae ceperit Iron?
Nempe quod alter egenus, altera pauper erat.
Non habet, unde suum paupertas pascat amorem:
750 Non tamen hoc tantist, pauper ut esse velis.
At tanti tibi sit, non indulgere theatris,
Dum bene de vacuo pectore cedat amor.
Enervant animos citharae lotosque lyraeque
Et vox et numeris bracchia mota suis.
755 Illic adsidue ficti saltantur amantes,
Qua caveas actor, quid iuvet, arte docet.
Eloquar invitus: teneros ne tange poetas!
Summoveo dotes impius ipse meas.
Callimachum fugito: non est inimicus Amori;
760 Et cum Callimacho tu quoque, Coe, noces;
Me certe Sappho meliorem fecit amicae,
Nec rigidos mores Teia Musa dedit.
Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli
Vel tua, cuius opus Cynthia sola fuit?
765 Quis poterit lecto durus discedere Gallo?
Et mea nescio quid carmina tale sonant.
Quod nisi dux operis vatem frustratur Apollo,
Aemulus est nostri maxima causa mali.
At tu rivalem noli tibi fingere quemquam,
670 Inque suo solam crede iacere toro!
Acrius Hermionen ideo dilexit Orestes,
Esse quod alterius coeperat illa viri.
Quid, Menelae, doles? ibas sine coniuge Creten
Et poteras nupta lentus abesse tua:
775 Ut Paris hanc rapuit, nunc demum uxore carere
Non potes: alterius crevit amore tuus.

- Hoc et in abducta Briseide flebat Achilles,
 Illam Plisthenio gaudia ferre toro;
 Nec frustra flebat, mihi credite: fecit Atrides.
 780 Quod si non faceret, turpiter esset iners.
 Certe ego fecissem nec sum sapientior illo:
 Invidiae fructus maximus ille fuit;
 Nam sibi quod numquam tactam Briseida iurat
 Per sceptrum, sceptrum non putat esse deos.
 785 Di faciant, possis dominae transire relictæ
 Limina, proposito sufficiantque pedes!
 Et poteris! modo velle tene! nunc fortiter ire,
 Nunc opus est celeri subdere calcar equo.
 Illo Lotophagos, illo Sirenas in antro
 790 Esse puta; remis adice vela tuis!
 Hunc quoque, quo quondam nimium rivale dolebas,
 Vellem, desineres hostis habere loco.
 At certe, quamvis odio remanente, saluta!
 Oscula cum poteris iam dare, sanus eris.
 795 Ecce, cibos etiam, medicinae fungar ut omni
 Munere, quos fugias quosque sequare, dabo:
 Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris,
 An veniat Megaris, noxius omnis erit;
 Nec minus erucas aptum vitare salaces,
 800 Et quidquid Veneri corpora nostra parat;
 Utilius sumas acuentis lumina rutas,
 Et quidquid Veneri corpora nostra negat.
 Quid tibi præcipiam de Bacchi munere, quaeris:
 Spe brevius monitis expediere meis.
 805 Vina parant animum Veneri, nisi plurima sumas,
 Et stupeant multo corda sepulta mero;
 Nutritur vento, vento restinguitur ignis:
 Lenis alit flammæ, grandior aura necat,
 Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
 810 Eripiat: siquast inter utrumque, nocet.

 Hoc opus exegi: fessæ date sarta carinae!
 Contigimus portus, quo mihi cursus erat.
 Postmodo reddetis sacro pia vota poetæ,
 Carmine sanati femina virque meo.

Adnotationes.

Summarium.

1—40. Prologus. Poeta deo Cupidini propositum suum excusat : nolle se adversus amorem bellum gerere, sed id potissimum agere, ut calamitates in amore leniantur.

41—74. Paraenesis ad iuvenes et puellas, ubi poeta optimum se amoris medicum esse gloriatur.

75—78. Invocatio Phoebi, inventoris et poeseos et medicinae.

79—106. Principiis obsta!

107—150. Malum inveteratum rebus agendis esse sanandum, otium vitandum; ergo:

151—168. fungendum oratoris aut militis munere,

169—198. aut agrum esse colendum,

199—212. aut venatui, aucupio, piscaturae operam esse dandam.

213—248. Efficacem medicinam esse amoris absentiam.

248—290. Magicas artes nihil prodesse Medae Circesque exemplis demonstratur.

291—340. Si abesse ab amica non liceat, vitia animi et corporis in ea observata esse semper ante oculos habenda, quin etiam dotes eius deflectendas in peius.

341—356. Medicamina faciei, quibus puella utatur, esse detegenda.

357—398. Excursus: poeta lasciviam carminum suorum excusat elegiaeque levitatem quandam esse propriam docet.

399—440. Praecepta, quae in ipsa re Venerea peragenda servantur.

441—464. Binas amicas esse habendas veteremque amorem novo expellendum.

465—488. Quod fecit Agamemnon pro amissa Chryseide Briseidem Achillis sibi vindicans.

489—522. Frigiditatem esse simulandam.

523—542. Quod si fieri non possit, taedium esse nimio Veneris usu quaerendum.

543—548. Diffidentiam zelotypiamque esse vitandas.

549—578. Monita Amoris Lethaei ad poëtam: ad mala quisque sua animum advertat, ut amorem facilius deponat: curam enim esse optimum amoris remedium.

579—608 Solitudinem esse fugiendam, quod Phyllidis a Demophoonte desertae exemplo demonstratur.

609—620. Inter amantes versari non esse tutum.

621—642. Praesentiam puellae amatae semper esse vitandam.

643—654. Querelas assiduas non prodesse, sed nocere.

655—672. Post discidium lites inimicitiasque esse fugiendas.

672—706. Vitanda esse etiam congressus et colloquia cum puella olim amata.

707—714. Puellam cum melioribus pulchrioribusque esse comparandam.

715—740. Omnia, quae amatorem puellae admoneant, esse fugienda: litteras ab ea acceptas igni dandas, loca quoque, prioris felicitatis testes, vitanda.

741—756. Theatra omniaque spectaculorum irritamenta esse fugienda.

757—766. Poëtas eroticos non esse legendos.

767—794. Rivalem patienter esse tolerandum.

795—810. De usu ciborum et vini.

811—814. Epilogus.

* * *

V. 3—4. *sceleris damnare*, accusare, ut Pseudoverg. Cir. vs 189: „quis non bonus omnia malit Credere, quam tanti sceleris damnare puellam?“ — *Tradita qui totiens te duce signa tuli*, tamquam miles et signifer Amoris, nam secundum Ov. Am. I. 9, 1: „Militat omnis amans et habet sua castra Cupido.“ Cf. Ov. A. A. II. 233: „Militiae species amor est.“ — *signa tuli*, de signis in castris Amoris cf. Ov. Am. III. 15, 15: „Culte puer puerique parens Amathusia culti, Aurea de campo vellite signa meo,“ ibid. I. 11, 11—12: „Credibile est et te sensisse Cupidinis arcus; In me militiae signa tuere tuae“, ibid. II. 9, 3—4. (ad Cupidinem) „Quid me, qui miles nunquam tua signa reliqui, Lacdis,“ ibid. II. 12, 27—28: „me sine caede Cupido Iussit militiae signa movere suae.“

V. 5—6. *Tyrides, a quo tua saucia mater*, nam Diomedes, Tydei filius, Venerem ipsam vulneravit apud Troiam secundum Hom. II. V. 330. sqq. — *In liquidum rediit aethera Martis equis*, cf. Hom. II. V. 363. sqq: τῇ δ' ἄρ' Ἀρης δῶκε χροσάμπνκας ἵππους . . . Αἴψα δ' ἐπειθ' ἵκοντο θεῶν ἔδος, αἰπὴν Ὀλύμπου.

V. 7. *Saepe tepent alii iuvenes, ego semper amavi*, eadem antithesis Ov. Am. II. 2, 53—54: „Seu tepet, indicium securas perdis ad aures, sive amat, officio fit miser ille tuo.“ — *tepent*, tepido amore sunt, mediocriter amant. — *amavi*, sc. magno veroque amore.

V. 10. *Impetus*, affectus animi ratione carens.

V. 12. *Nec nova praeteritum Musa retexit opus*. ut Ov. Pont. I. 3, 30: „Quod tua fecerunt scripta, retexit opus.“ — *nova*... *Musa*, i. e. libellus de Remediis Amoris. — *praeteritum*... *opus*, Ars Amatoria. — *retexit*, delet; imago ab arte texendi ducta. Eodem sensu apud Cic. De or. II. 38, 158: „quibus ante exorsa et potius detexta prope retexantur“ et Philip. II. 13, 32: „Itaque iam retexo orationem meam.“

V. 14. *vento*... *suo*, secundo; contrarium dicit Hor. Epod. 9, 30: „Ventis iturus non suis.“

V. 15. *indignae*, amore indignae.

V. 18. *A trabe sublimi triste pependit onus*, contrarium apud Ov. Fast. II. 760: „Deque viri collo dulce pependit onus.“

V. 20. *pacis amator*, nam secundum Prop. III. 5, 1: „Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes.“

V. 25—26. *nudis*... *sagittis*, de pharetra exemptis; cf. Ov. Am. I. 1, 21—22. de Amore: „pharetra cum protinus ille soluta Legit in exitium spicula facta meum.“ — *mortifero sanguine*, ut Ov. Fast. I. 123: „Sanguine letifero totus miscebitur orbis.“ — *sanguine*, i. e. effusione sanguinis.

V. 21. *Vitricus*, Mars, amator Veneris, vitricus Amoris per iocum dicitur, ut Ov. Am. I. 2, 24; Amor autem *privignus* Martis nominatur Ov. Am. II. 9, 48: „Quod dubius Mars est, per te, privigne Cupido, est.“

V. 29. *maternas*, i. e. Venereas.

V. 31—32. *nocturna frangatur ianua rixa*, ex Tibull. I. 1, 73—74: „Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes Non pudet et rixas inseruisse iuvat.“ — *frangatur ianua*, sc. ianua puellae ab amatore excluso, quae res passim occurrit apud poetas eroticos. — *legat ornatas multa corona fores*, coronis ornabant ianuam puellae amatores exclusi; cf. Lucret. IV. 1177: „At lacrimans exclusus amator limina saepe Floribus et sertis operit.“ Prop. I. 16, 7—8. (ianua de se): „Et mihi non desunt turpes pendere corollae Semper et exclusi signa iacere faces;“ Ov. Am. I. 6, 67—68: „At tu, non laetis

detracta corona capillis, Dura super tota limina nocte iace“ et A. A. II. 528: „Et capiti demptas in fore pone rosas“ et Met. XIV. 708: „Interdum madidas lacrimarum rore coronas Postibus intendit.“

V. 34. *Verbaque dent*, i. e. fallant, eludant. — *viro*, marito.

V. 35—36. *modo blanditias, rigido modo iurgia posti Dicat*, quod amantes exclusi solent facere; cf. infra vs. 507., Tibull. l. 2, 7—14. et praecipue Ov. Am. l. 6. — *rigido ... posti*, ut Ov. Am. l. 6, 73: „crudeles rigido cum limine postes.“ — *flebile cantet amans*, querulus cantus amatoris ante ianuam clausam amicae a Graecis *παρὰ κλεισθῆντος* vocabatur (cf. Plut. Erot. 8.), cuius exempla sunt apud Romanos Hor. Carm. Ill. 10., Prop. l. 16. et Ov. Am. l. 6.

V. 38. *Non tua fax avidos digna subire rogos*, i. e. fax Amoris opponitur faci illi funestae, qua veteres rogos mortuorum incendere solebant. Cf. Ov. Herf. 6, 42: „Faxque sub arsueros dignior ire rogos.“ — *avidos ... rogos*, ut Ov. Am. Ill. 9, 28: „Defugiunt avidos carmina sola rogos.“

V. 39—40. *movit gemmalas aureus alas*, ut Ov. Am. l. 2, 41—42. de Amore: „Tu pinnas gemma, gemma variante capillos Ibis in auratis aureus ipse rotis.“ — *movit ... alas*, alis tamquam adnuit poetae verba eius probans. Cf. Priap. 37, 13—14. (de Priapo): „Promisit fore mentulamque movit Pro nutu deus et rogata fecit.“ — *aureus*, capillis aureis (*χρυσόχαίτης*), ut etiam *χρυσή 'Αφροδίτη*. — *propositum perfice, dixit, opus*, ut Ov. Fast. IV. 16. „Coepum perfice, dixit, opus.“

V. 47—48. *in Herculeo ... hoste*, Telephus, Herculis ex Auge filius. — *Vulneris auxilium Pelias hasta tulit*, cf. de eadem re Prop. ll. 1, C3—64: „Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspidem vulnus Senserat, hac ipsa cuspidem sensit opem.“ Fabulam de Telepho, rege Mysiae, narrat Apollod. Epit. Ill. 17: *ὁρμήσαντος δὲ Ἀχιλλέως ἐπ' αὐτὸν οὐ μείνας ἐδιώκετο καὶ διωκόμενος ἐμπλακὴς εἰς ἀμπέλου κλῆμα τὸν μηρὸν τιτρώσκειται δόρατι ... Τηλέφος δὲ ἐκ τῆς Μυσίας ἀνίστατον τὸ τραῦμα ἔχων, εἰπόντος αὐτοῦ τοῦ Ἀπόλλωνος τότε τεύχεσθαι θεραπείας, ὅταν ὁ τρώσας ἰατρὸς γένηται, τρέχεσιν ἡμικισμέρος εἰς Ἀργὸς ἀφίκετο καὶ δεηθεὶς Ἀχιλλέως καὶ ὑπεσχημένος τὸν εἰς Τροίαν πλοῦν δεῖξαι θεραπείαν ἐπέσχετο ἀποξύναντος Ἀχιλλέως τῆς Πηλιάδος μελίας τὸν ἰόν. — Pelias hasta, hasta Achillis facta e ligno fraxini in monte Thessaliae Pelio caesae; cf. Hom. Il. XIX. 390: Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρῃ Χείρων Πηλίου ἐκ κορυφῆς, σόρον ἔμμεται ἡρώεσσιν.*

V. 49—50. *Sed quaecumque viris, vobis quoque dicta, puellae, Credite*, aliter in Arte Amatoria, ubi libris I. et II. iuvenes, libro III. puellae separatim instituuntur.

V. 54. *servum*, adiectivi vice fungitur, ut Hor. Ep. I. 19, 19: „O imitatores, servum pecus.“ — *villii ... sui*, est enim amor secundum philosophos perturbatio animi vitiosa. Cf. infra adn. ad. vss. 73—74.

V. 55—56. *Phyllis*, filia Sithonis, regis Thraciae, relicta a Demophoonte, Thesei filio, de qua re Ov. Her. 2. — *per quod noviens, saepius isset iter*, cf. quae de hac re infra vss. 599. sqq. narrantur et adn. ad h. l.

V. 57—58. *moriens Dido*, moritura propter infidelitatem Aeneae ut Verg. Aen. I. IV. narratur. — *summa vidisset ab arce Dardanias vento vela dedisse rates*, cf. Verg. Aen. IV. 58: „regina e speculis cum primum albescere lucem Vidit et aequatis classem procedere velis.“ — *Dardanias*, Troianas, a Dardano, rege antiquissimo Troiae.

V. 59—60. *sua viscera*, liberos suos. — *Quae socii damno sanguinis ulta virum*, Medea, uxor Iasonis, quae infidelitatem mariti caede liberorum suorum ulta est. — *socii ... sanguinis*, communium liberorum

V. 61—62. *Tereus ... Philomela*, Tereus, rex Thraciae, uxorem duxit Progne et postea vi compressit sororem eius, Philomelam. Tum Progne et Philomela, ut iniuriam ulciscerentur, parvum Ityn, filium Terei et Progne, necaverunt et epulandum apposuerunt patri, qui, postquam rem cognovit, stricto gladio feminas crudeles persecutus est. Omnes denique in aves sunt mutati: ex Tereo epops, ex Progne hirundo (secundum alios luscini), ex Philomela luscini (secundum alios hirundo) facta est. Fabulam narrat Ov. Met VI. 424. sqq. — *Per facinus*, scelus.

V. 63—64. *Pasiphaen*, Pasiphae, uxor Minois, regis Cretae, taurum amavit, unde natus est Minotaurus, biforme monstrum; cf. Apollod. III. 8. Fabulam narrat Ov. A. A. I. 289. sqq. — *Phaedram*, uxor Thesei, quae incesto amore dilexit privignum suum, Hippolytum, de qua re extat celeberrima Euripidis tragoedia (*Hippolytus*) et Ov. Her. 4.

V. 66. *Danaïs*, Troianis, pro adiectivo positum, ut Ov. Her. III. 86: „Danaas ... opes.“

V. 67. *Scylla*, fabulam de Scylla, filia Nisi, regis Megarensium,

narrat Apollod. III. 210: (Μίρως) Μέγαρα εἶλε Νίσου βασιλεῖοντος τοῦ Πανδίωνος... ἀπέθανε δὲ καὶ Νίσος διὰ θυγατρὸς προδοσίαν. Ἐχοντι γὰρ αὐτῷ πορφυρέαν ἐν μέσῃ τῇ κεφαλῇ τρίχα ταύτης ἀφαιρεθείσης ἦν χρησμός τελευτῆσαι. Ἡ δὲ θυγάτηρ αὐτοῦ Σκύλλα ἐρασθεῖσα Μίρως ἐξείλε τὴν τρίχα.

V. 73—74. *Publicus assertor dominis suppressa levabo pectora*, omnium animos, amoris servos, liberabo. Dixit enim supra vs. 54: „servum vitii pectus habere sui“. — *Publicus assertor*, liberator omnium. Alludit ad manumissionem servorum; nam *assertor in libertatem* vocabatur lictor, qui apud praetorem servo manumittendo vindictam (festucam, virgam) imposuit his verbis: „Hunc ego hominem liberum esse aio.“ Cf. Ov. Am. III. 11, 3: „Scilicet adserui iam me rupique catenas“. — *dominis*, domini pectoris (animi) vocantur a philosophis, praecipue a Stoicis, cupiditates et affectus, Graece τὰ πάθη, quibus animus opprimitur, ut servus; cf. Hor. Sat. II. 7, 91. de mente amore oppressa: „eripe turpi Colla iugo, „liber, liber sum“ dic age: non quis, Urget enim dominus mentem non lenis“ et Pers. Sat. V. 129: „sed si intus et in iecore aegro Nascuntur domini, quo tu impunitior exis, Atque hic, quem ad strigiles scutica et metusegit erilis“. — *vindictae*, tamquam manumissioni per vindictam; nam vindicta vocabatur festuca illa sive virga, qua lictor caput manumittendi tetigit; cf. Hor. Sat. II. 7, 75: „Tunc mihi dominus rerum imperiis hominumque Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque Imposita haud unquam misera formidine privet“?

V. 75—76. *adsit tua laurea nobis... Phoebe*, poetae se vates esse sentiunt sacro quodam furore correpti; vaticinantes autem folia lauri Apollini sacrae manducabant excitandi furoris causa, unde Lycophr. 6. de vatibus: δαφνηγάγοι λαιμοὶ et Tibull. II. 5, 63. (Sibylla de se): „Sic usque sacras innoxia laurus Vescar.“ — *medicae... repertor opis*, Phoebus est deus medicinae; cf. Ov. Her. V. 149—152. (verba Oenones medendi peritae): „Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis! Deficior prudens artis ab arte mea. Ipse *repertor opis* (sc. Apollo) vaccas pavisse Pheraeas Fertur et a nostro saucius igne fuit.“

V. 80. *siste pedem*, ut Verg. Aen. VI. 465: „Siste gradum.“

V. 83. *teneras mora percoquit uvas*, ut Tibull. I. 4, 19: „Annus in apricis maturat collibus uvas“ et Ov. Trist. IV. 6, 9: „Tempus ut extensis tumeat facit uva racemis.“ — *percoquit*, maturat; cf. Verg. Ge. I. 522: „Mitis in apricis coquitur vindemia saxis“

V. 85—80. *Quae praebet lalas arbor spatiantibus umbras, Quo posita est primum tempore, virga fuit*, cf. Ov. A. A. II. 342: „Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.“

V. 91—92. *Principiis obsta* etc., totum distichon proverbium factum est.

V. 94. *aplus*, sc. ad sanandum.

V. 96. *vindictae*, cf. adn. supra ad vs. 74.

V. 100. *Non legeres vullus cortice, Myrrha, tuos*, de Myrrha sive Smyrna, patrem amante, cf. Apollod. III. 183: *Πανύασσις δέ ηησι (Αδωνιν) Θείατος βασιλέως Ἀσσυρίων, ἧς ἔσχε θυγατέρα Σμύρναν αὐτὴ κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης (οὐ γὰρ αὐτὴν εἶμα) ἴσχει τοῦ πατρὸς ἔρωτα καὶ σίτει γον λαβοῦσα τὴν τροφὴν ἀγροῦντι τῷ πατρὶ τῆς δώδεκα σιεντισθη. ὁ δὲ, ὡς ἤσθετο, στασάμενος τὸ ξίφος ἐδίωκεν αὐτήν. Ἡ δὲ περικαταλειβαμένη θεοῖς ἤρξατο ἀγαιῆς γενέσθαι. θεοὶ δὲ κατοικτεῖραντες αὐτὴν εἰς δένδρον μετέλλαξαν, ὃ καλοῦσι σμύρναν. Δεκαμηναίῳ δὲ ἴσπερον χρόνῳ τοῦ δένδρου ὑαγέρτος γεννηθῆναι τὸν λεγόμενον Ἀδωνιν. De Smyrna Helvius Cinna, Catulli amicus, epyllion celeberrimum scripsit, quod ad nostram aetatem non pervenit; fabulam copiose narrat Ov. Met. X. 298. sqq.*

V. 103—104. *Veneris decerpere fructum*, cf. Hor. Sat. I. 2, 78—79: „Desine matronas sectarier, unde laboris Plus haurire mal est quam ex re *decerpere fructus*.“ — *cras quoque fiet idem*, proverbialiter dicitur de eo, qui, quae hodie agenda sunt, semper in crastinum diem differt; locum imitatur Pers. Sat. V. 66: „Cras hoc fiet — idem cras fiet.“

V. 111. *Poeantius heros*, Philoctetes, Poeantis filius, quem viperino morsu laborentem et socios eiulatu maloque vulneris odore molestantem Graeci Troiam petentes in insula Lemni reliquerunt.

V. 113—114. *Post ... mullos sanatus ... annos*, decimo belli Troiani anno, postquam Graeci ex oraculo Troiam sine sagittis Philoctetis ab Hercule acceptis capi non posse intellexerunt, Ulixes et Diomedes Lemnum venerunt Philoctetemque a Podalirio, celeberrimo Graeci exercitus medico, fratre Machaonis, sanatum Troiam duxerunt, cf. Apollod. V. 8. et Quint. Smyrn. IX. 463. Aliter Prop. II. 1. 59: „Tarda Philoctetae sanavit crura *Machaon*“ et Procl. de Iliade Parva: *Διομήδης ἐκ Ἀθήνων Φιλοκτήτην ἀνάγει, ἰαθεῖς δὲ οὗτος ἐπὶ Μαχάονος καὶ μορομαχῆσας Ἀλεξάνδρῳ (i. e. Paridi) κτείνει* et Ov. Pont. I. 3, 5: „Utque *Machaoniis* Poeantius artibus heros Lenito medicam vulnere

sensit opem.“ Extat de hac re celeberrima Sophoclis tragoedia, *Philoctetes*. — *bellis*, bello Troiano.

V. 116. *Admoveo tardam nunc tibi lentus opem*, i. e. morbi veteres non possunt celeriter sanari: lente sensimque sunt curandi.

V. 119—120. *Cum furor in cursu est*, eodem sensu Ov. Pont. IV, 11, 18: „Dum dolor in cursu est.“ — *inpetus*, i. e. impetus animi, furor; cf. supra vs. 10. et adn. ad. h. l.

V. 121—122. *ab obliquo qui cum descendere possit*, de natatore, qui fluvium tranare studet oblique, amne secundo; cf. Ov. A. A. II. 181—182: „Obsequio tranantur aquae nec vincere possis Flumina, si contra, quam rapit unda, nates.“ — *Pugnat*, conatur, contendit, nititur.

V. 129—130. *dederit lacrimas, fuderit. — animumque impleverit aegrum*, malim: *expleverit*, ut Ov. Trist. IV. 3, 38: „Expletur lacrimis egeriturque dolor“ et Verg. Aen. II, 586: „animumque explesse iuvabit Ultricis flammac“. — *emoderandus*, ἡμᾶς εἰσημέρον; vox fortasse ab Ovidio ficta.

V. 131—132. *Temporis ars medicina fere est*, i. e. ars, quae se componit ad opportunitatem temporis; cf. Ov. A. A. I. 357: „medici quoque tempora servant.“ — *data .. vina*, i. e. medicinae loco data.

V. 133. *accendas, suscite*.

V. 136. *fugias otia*, otium esse alimentum amoris docemur iam ex Catull. 51, 13: „Otium tibi, Catullie, molestum est: Otio exultas nimiumque gestis.“

V. 137—138. *ut fecere, tuentur*, i. e. ut fecere amorem, ita conservant. — *iucundi ... mali*, de amore, ut Catull. 68, 17: „dea (sc. Venus) ... Quae dulcem curis miscet amaritiem“ et ibid. 64, 95. (de Amore): „Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces“ et Ov. Am. II. 9, 23—24: „Vive — deus — posito — si quis mihi dicat — amore, Deprece: usque adeo dulce puella malum est.“

V. 139—140. *periere Cupidinis arcus Contemptaeque iacent et sine luce faces*, cf. Tibull. II. 5, 105: „Pace tua pereant arcus pereantque sagittae, Phoebe, modo in terris erret inermis amor“ et ibid. II. 6, 15: „Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas, Si licet, extinctas aspiciamque faces“; Ov. Am. III. 9, 7—8: „Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram Et fractos arcus et sine luce facem.“

V. 141. *platanus vino gaudet*, platanos, si vino rigentur, melius

crescere affirmat Macrobr. Saturn. I. 9; cf. etiam Martialis IX. 61, 16. (de platano): „Crevit et effuso laetior umbra mero.“

V. 144. *res age*, sc. *res serias*.

V. 145—146. *sub nullo vindice somni*, cf. Ov. Am. II. 12, 53: „Nox mihi sub nullo vindice semper erit“. — *sub nullo vindice*, nullo impediēte. — *nullo tempora quassa mero*, i. e. caput multo vino torpidum; ex Tibull. I. 2, 3: „multo percussum tempora Baccho“; Graece οἰρονλήξ, ut apud Antipatrum Anth. Pal. IX. 323, 5.

V. 148. *Adfluit*, obrepat et penetrat necopinato; cf. Cic. De fin. I. 11, 39: „si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate *adflueret* et illaberetur.“

V. 149. *puer ille*, Amor, ut passim apud poetas eroticos; cf. Ov. Am. I. 1, 25; „certas habuit puer ille sagittas“.

V. 151—152. *Sunt fora*, sc. ubi causas agere possis orator et causidicus. — *sunt leges*, sis igitur iurisconsultus et responde de iure clientibus et consultoribus; cf. Hor. Sat. I. 1, 9: „Agricolam laudat *iuris legumque peritus*, Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat“. — *quos tuearis, amici*, quorum causas agas apud iudices; cf. Cic. pro Arch. 6, 13; „crecit oratio et facultas, quae, quantacunque in me est, nunquam amicorum periculis deficit“. — *Vade per urbanae splendida castra togae*, i. e. fungere glorioso causidici et oratoris munere. — *urbanae . . . castra togae*, quia causidici et oratores in foro togam gestare solebant. — *urbanae*, toga in urbe et in pace gestanda opponitur sago bellico — *splendida castra*, gloriosa, ad honores ducentia. — *castra togae*, oxymoron; *castra* enim bellum, *toga* pacem significat; cf. Vell. Pat. II. 125: „vir utilior in castris, melior in toga“. — *castra*, munus causidici et oratoris est tamquam militia forensis, bellum forense, ut Ov. Pont. IV. 6, 29: „quid valeas *Marte forensi*“ ibid. IV. 6, 35. (ad Brutum oratorem): „Hostibus eveniat, quam sis violentus *in armis* Sentire et linguae tela subire tuae“ et Fast. I. 22: „*Civica* pro trepidis cum tulit *arma* reis“, ibid. IV. 188: „Et *fora Marte suo* litigiosa vacent“, Trist. IV. 10, 18: Fortia verbosi natus ad *arma fori*“.

V. 155—156. *fugax Parthus . . . iam videt in campis Caesaris arma suis*, alludit ad expeditionem orientalem Gaii Caesaris iuvenis, nepotis et filii adoptivi Augusti, filii Agrippae et Iuliae maioris, qui anno 1. a. Chr. n. in Syriam abiit ad res Orientis ordinandas. Hic est *terminus post quem* libelli de Reinediis Amoris. De eodem Gaio

Caesare in Syriam abituro mentionem facit Ov. A. A. I. 177. sqq., ubi est *terminus ante quem* Artis Amatoriae. — *fugax Parthus*, mos erat Parthorum, fugam simulare, ut hostes incaute persequentes eo facilius sagittis obruere possent. Cf. Ov. A. A. I. 209: „Tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam Telaque ab averso quae iacit hostis equo“, Verg. Ge. III. 31: „Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis“, Prop. III. 9, 54: „Parthorum astutae tela remissa fugae“. — *Caesaris arma*, exercitum Gai Caesaris auspiciis Augusti Caesaris contra Parthos missum; cf. Ov. A. A. I. 181. de Gaio Caesare admodum iuvene in Syriam ituro: „Ultor adest primisque ducem proficitur in annis Bellaque non puero tractat agenda puer“ et ibid. I. 191: „Auspiciis animisque patris, puer, arma movebis Et vinctis animis auspiciisque patris“.

V. 157—153. *Parthasque sagittas*, Parthas pro *Parthicas*, ut Prop. III. 4, 1: „Assuescent Latio Partha tropaea Iovi“. — *Et refer ad patrios bina tropaea deos*, ex Prop. II. 30, 22: „Et ferre ad patrios praemia dira Lares“. Cf. Ov. Her. I. 26: „Ponitur ad patrios barbara praeda deos“. — *ad patrios . . . deos*, ad Lares domesticos, i. e. domum. Duces, victores reversi, domos suas tropaeis hostium ornare solebant; cf. Prop. III. 9, 25—26: „Vel tibi Medorum pugnaces ire per hastas Atque onerare tuam fixa per arma domum“.

V. 159—160. *Aetola Venus est a cuspide laesa*, cuspide Diomedis, qui erat rex Calydonis in Aetolia. Cf. supra vs. 5. et adn. ad h. l. — *amatori*, Marti.

V. 160. *Aegisthus . . . adulter*, Thyestis filius, qui Agamemnone absente uxorem eius Clytaemnestram corripuit, postea maritum ex bello Troiano redeuntem auxilio Clytaemnestrae occidit. De qua re agit celeberrima Aeschyli tragoedia, *Agamemnon*.

V. 163—164. *tardis . . . armis*, nam decem annos bellum Troianum duravit — *Transtulerat*, i. e. trans mare Aegaeum. Cf. Ov. Fast. II. 279. de Evandro cultum Panis in Italiam ex Arcadia ferente: „Transtulit Evander silvestria numina secum“.

V. 165—166. *nulla gerebat*, sc. nulla bella gerebat Argos. — *Argos*, sedes Agamemnonis.

V. 168. *ille puer*, Amor, cf. adn. supra ad vs. 149.

V. 169—170. *Rura quoque oblectant animos studiumque colendi: Quaelibet huic curae cedere cura potest*, cf. Hor. Epod. 2, 37—38. (de vita rustica): „Quis non malorum, quas amor curas habet, Haec

inter obliviscitur“? — *Quaelibet* ... *cura*, ergo etiam amor, qui a poetis eroticis saepe *cura* vocatur.

V. 173—174. *versata*, arata. — *Cerealia semina*, semina frumenti. — *Quae tibi cum multo faenore reddat ager*, ex Tibull. II. 6, 21—22: „sulcis credit aratis Semina, quae magno faenore reddat ager“. Cf. Ov. Pont. I. 5, 26: „Et sata cum multo faenore reddit ager“. Nam agricolae, ut Cic. De senect. 51. dicit: „habent... rationem cum terra, quae nunquam recusat commercium nec unquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum faenore“.

V. 175. *Adspice curvatos pomorum pondere ramos*, cf. Ov. A. II. 263: „Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant“.

V. 177—178. *Adspice labentes incundo murmure rivos*, ut Hor. Epod. 2, 25: „Labuntur altis interim ripis aquae“ et ibid. 27: „Fontesque lymphis obstrepuunt manantibus, Somnos quod invitet leves“. — *tondentes* depascentes; cf. Verg. Ecl. X. 7: „Dum tenerae attendent simae virgulta capellae“.

V. 179. *petunt rupes praeruptaque saxa capellae*, ut Pseudoverg. Dir. 134: „Haedorum pater o felix semperque beate, Sive petis montes praeruptos saxa perrerans“.

V. 181. *Pastor inaequali modulatur harundine carmen*, cf. Verg. Ecl. I. 2: „Silvestrem tenui Musam meditaris avena“ et Tibull. II. 1, 51—54: „Agricola... satur arenti primum est *modulatus* avena *carmen*“. — *inaequali*... *harundine*, fistula pastoralis, Gaece σιγίρξ ex septem disparibus calamis constans; cf. Verg. Ecl. II. 36: „Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula“, Tibull. II. 5, 31: „Fistula, cui semper decrescit harundinis ordo: Nam calamus cera iungitur usque minor“, Ov. Met. VIII. 189—192: „nam ponit in ordine pennas A minima coeptas, longam brevior sequenti, Ut clivo crevisse putes: sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis“.

V. 185—186. *cum suppositos fugiunt examina fumos*, cum alveus apium supposito igne suffitur, ut apibus fumo fugatis favi eximi possint. Cf. Verg. Ge. IV. 228: „Si quando sedem... servataque mella Thesauris relines, prius haustu sparsus aquarum Ora fove fumosque manu praetende sequaces“ et Aen. XII. 587: „Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor Vestigavit apes fumoque implevit“.

amaro". — *examina*, sc. apium. — *vimina curva*, alveus apium vimineus rotundus.

V. 189—190. *maturam rusticus uvam Deligit*, decerpit, ut Ov. Her. IV. 29—30: „Est aliquid plenius pomaria carpere ramis Et tenui primam *deligere* ungue rosam". — *nudo sub pede musta fluunt*, cum mustum ex uvis exprimitur pedibus nudis calcantis; cf. Tibull. I. 7, 35—36: „Illi iucundos primum matura saporibus Expressa insuetis uva dedit pedibus" et ibid. II. 1, 45: „Aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores" et Prop. III. 17, 17: „Dum modo purpureo spumen mihi dolia musto Et nova pressantes inquinet uva pedes".

V. 191—192. *desectas alligat herbas*, agitur de messe feni, cum herbis deseectis fenum in manipulos colligatur. Cf. Plin. N. H. XVIII. 28, 262: „iustum est una opera iugerum in die deseccari *alligareque* manipulos mille ducentos"; Colum. XI. 2, 90: „manipulos *alligare*" et ibid. II. 18, 5: „Tum feniseccem messorum oportet inducere et *deseccam herbam religare*."

V. 195—196. *ramum ramus adoptet*, i. e. vetus ramus tamquam adoptat ramum insitum; eodem sensu Ov. A. A. II. 652: „Firmaque adoptivas arbor habebit opes" et Medic. fac. 6: „Fissaque adoptivas accipit arbor opes"; Martialis. XIII. 46: „Vilia maternis fueramus paecoqua ramis: Nunc in adoptivis Persica cara sumus". Etiam Plin. N. H. XVI. 1. prooem. de pomis insitivis: „Sive illae ultro, sive ab homine didicere blandos saporibus *adoptione et connubio*". — *comis*, frondibus.

V. 200. a *Phoebe* . . . *sorore*, a Diana, dea venatorum.

V. 201—202. *leporem pronum*, corpore prono procurrentem, ut Ov. Met. X. 538: „Aut *pronus lepores* aut celsum in cornua cervum Aut agitat dammas" et ibid. X. 652. (de Atalanta et Hippomene cursu certantibus): „cum carcere *pronus* uterque Emicat et summam celeri pede libat harenam". — *relia*, sc. venatoria. — *iugis*, sc. montium.

V. 203. *pavidos terre varia formidine cervos*, formidinem appellabant venatores funiculum variis (versicoloribus) avium pinnis distinctum ad feras terrendas et in retia impellendas; cf. Senec. De ira II. 12: „Cum maximos ferarum greges linea pennae distincta contineat et in insidias agat: ab ipso effectu dicta *formido*"; Verg. Ge. III. 372: „Punicaeve agitant pavidos (sc. cervos) formidine pennae" et Aen. XII. 750: „Cervum puniceae saeptum formidine

pennae“. Ovidium imitatur Lucan. IV. 437 : „dum *pavidos formidine cervos* Claudat, odoratae metuentes aera pennae“.

V. 206. *pingui*... *quiele*, segni, quales solent esse homines pingues, ut Ov. Am. I. 13, 7 : „Nunc etiam somni pingues“ et ibid. II. 19, 25 : „Pinguis amor nimiumque patens in taedia nobis Vertitur“.

V. 208. *Aut lino aut calamis praemia parva sequi*, ex Prop. III. 13, 46 : „Sive petes calamo praemia sive cane“. — *lino*, retibus aucupatoriis, sicut etiam retia piscatoria saepe lina voeantur; cf. Ov. Met. III. 580—587 : „*linoque* solebat et hamis Decipere et calamo salientes ducere pisces“. — *calamis*, sc. viscatis. — *praemia*, praedam, ut Prop. loco supra laud. et Tibull. I. 2, 25—26 : „qui corpora ferro Vulneret aut rapta praemia veste petat“.

V. 209—210. *male*, in exitium suum. — *Abdere sub parvis aera recurva cibis*, ut Ov. Fast. VI. 240. de piscatoribus : „Quique tegunt parvis aera recurva cibis“ et Met. VIII. 855 : „o qui pendentia parvo Aera cibo celas“. — *sub parvis*, scribendum esse vidit rectissime R. Bentley, collatis locis supra laud.; codices : *supremis*, quod Burmann ita explicare temptat : supremi cibi sunt ultimi, quos pisces ex hamo capiunt mox leto dandi.

V. 219—220. *Nec pluvias opta*, sc. quae moram tibi dent abituro. — *nec le peregrina morentur Sabbata nec damnis Allia nota suis*, ut Ov. A. A. I. 413 : „Tu licet incipias, qua flebilis Allia luce Vulneribus Latiis sanguinolenta fuit, Quoque die redeunt rebus minus apta gerendis Culta Palaestino septima festa Syro“. — *peregrina*... *sabbata*, sabbata Iudaeorum, quibus hoc die iter ingredi non licet. Sabbata autem multi celebrabant Romae Iudaeorum sectatores, qui proselyti vocabantur. Poeta respexit Tibull. I. 3, 17 : „Aut ego sum causatus aves aut omina dira Saturnive sacram me tenuisse diem“. Cf. Hor. Sat. I. 3, 68—69 : „meliori Tempore dicam : hodie tricesima sabbata“ et Ov. A. A. I. 75—76 : „Nec te praetereat Veneri ploratus Adonis Cultaque Iudaeo septima sacra Syro“. — *Allia*, referendum ad cladem Romanorum, apud fluvium Alliam, ubi a Gallis fusi fugatique sunt die 18. Julii an. a. Chr. n. 390.; in fastis *dies ater*, i. e. rebus gerendis non aptus.

V. 222. *Milia*, sc. passuum.

V. 224. *tutus adhuc Parthus ab hoste fuga est*, cf. adn. supra ad vs. 155 : „fugax Parthus“.

V. 228. *mensa*, cibus.

V. 229—231. *Ut corpus redimas ferrum patieris et ignes Arida nec sitiens ora levabis aqua: Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?* cf. Hor. Ep. I. 2, 57—39: „nam cur, Quae laedunt oculum, festinas demere, si quid Est animum, differs curandi tempus in annum?“ — *Ut valeas animo, ferrum patieris et ignes*, ut Ov. Her. 19, 183: „Ut valeant, aliae ferrum patiuntur et ignes“. — *ferrum... ignes*, τέλειον καὶ χεῖρ, notae medelae chirurgorum Graecorum, qui secundum Hippocratem vulnera medicamentis non sanabilia ferro, ea autem, quae ne ferro quidem sanari possent, igne sananda existimarunt. — *Arida nec sitiens ora levabis aqua*, ut Ov. Her. IV. 174: „arentem quae levet unda sitim“. Poeta ad hydropicos alludit, quos veteres perpetua siti laborare et bibendo malum augere putaverunt; cf. Hor. Carm. II, 2, 13: Crescit indulgens sibi dirus hydrops Nec sitim pellit, nisi causa morbi Fugerit venis“ et Ov. Am. III. 4, 18: „Sic interdictis imminet aeger aquis“. — *levabis*, mitigabis, lenies.

V. 232. *pars haec*. sc. animus.

V. 233. *ianua*, initium.

V. 235—236. *Adspicis ut prensos urant iuga prima iuvenco*
Et nova velocem cingula laedat equum, ut Ov. Am. I. 2, 14: „Detrectant prensi dum iuga prima boves“ et Pont. I 5, 24: „Subducunt oneri colla perusta boves“ et Her. 4, 21—22: „Scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuvenco Frenaque vix patitur de grege captus equus“. — *prensos*, iugo adiunctos, ut Verg. Ge. I. 285: „Et prensos domitare boves“. — *cingula*, qua cinguntur iumenta presa. eodem sensu Calpurn. Ecl. VI 41.

V. 237. *a Laribus patriis*, e domo.

V. 243. *lentus*, diu.

V. 247. *Quidquid et afueris, avidus sitiensque redibis*, i. e. quamlibet longe afueris, nisi satis diu, amorem tuum vincere non poteris. — *spatium... omne*, absentia tota.

V. 249. *Viderit, Haemoniae si quis mala pabula terrae Et magicas artes posse iuvare putat*, cf. Ov. A. A. II. 99: „Fallitur, Haemonias si quis decurrit ad artes“. — *Haemoniae... mala pabula terrae*, herbae magicae, ut Tibull. II. 4, 56: „Quidquid et herbarum Thessala terra gerit“; eodem sensu Ov. Am. I. 14, 40: *Haemonia aqua* siquificat aquam magico ritu devotam, Haemonia enim est vetus nomen Thessaliae, quae erat magorum, sagarum et veneficarum patria abundabatque herbis magicis. Causam mythicam dicit Schol. ad

Aristoph. Nub. 749: *φασὶ δὲ ὅτι Μῆδεια φεύγουσα κίστην ἐξέβαλε φαρμάκων ἐκεί καὶ ἀνέγνωσαν.* — *mala pabula herbae noxiae.*

V. 251—252. *Ista veneficii vetus est via*, pro *vetus*, epitheto otioso, scribendum videtur *velita*, ut opponatur *innocuo carmini* vs. sq. commemorato. Magicorum carminum devotiones iam lege duodecim tabularum vetabantur; cf. infra adn. ad. vs. 255. — *Apollo*, deus medicinae; cf. supra vss. 75—76. — *sacro carmine*, tribuitur enim deo.

V. 253—254. *non tumulto prodire iubebitur umbra, Non anus infami carmine rumpet humum*, de *νεχρομαρτίᾳ*, ut Tibull. I. 2, 45—46; „Haec cantu finditque solum manesque sepulcris Elicit“ et Ov. Am. I. 8. 17—18: „Evocat antiquos proavos atavosque sepulcris Et solidam longo carmine findit humum“. — *anus*, saga.

V. 255—256. *Non seges ex aliis alios transibit in agros*, sc. ope carminis magici; cf. Verg. Ecl. VIII. 93: „Atque satas alio vidi traducere messes“ et Tibull. I. 8, 19: „Cantus vicinis fruges traducit ab agris“. Hoc erat *excantare fruges*, quod iam lege duodecim tabularum vetabatur; cf. Plin. N. H. XXVIII. 17: „legum ipsarum in duodecim tabulis verba sunt: *qui fruges excantassit*“. — *Nec subito Phoebi pallidus orbis erit*, credebant enim antiqui solem magico ritu devotum deficere; cf. Tibull. I. 2, 42. de saga: „Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi“, et Ov. Am. II. 1, 23—24: „Carmina . . . revocant niveos Solis euntis equos“. — *Phoebi*, solis.

V. 257—258. *Ut solet, acquoreas ibit Tiberinus in undas*, i. e. non refluet magico ritu devotus in fontem suum; cf. Tibull. I. 2, 44, de saga: „Fluminis haec rapidi carmine vertit iter“; Ov. Her. 6, 87: de Medea: „Illa refrenat aquas obliquaque flumina sistit“, Am. II. 1, 26: „Inque suos fontes versa recurrit aqua“, Medic. 40: „Nec reedit in fontes unda supina suos“, Am. I. 8, 6: „Inque caput liquidas arte recurvat aquas“. — *Tiberinus*, deus fluvii Tiberis pro fluvio ipso. — *Ut solet, in niveis Luna vehetur equis*, i. e. Luna non deficiet, cf. Tibull. I. 8, 21: „Cantus et e curru Lunam deducere temptat“. Credebant antiqui Lunam a sagis devotam deficere; cf. Verg. Ecl. VIII. 69: „Carmina vel caelo possunt deducere Lunam“ et Prop. I. 1, 19: „At vos deductae quibus est fallacia lunae“. — *in niveis Luna vehetur equis*, i. e. orbis lunae non erit ruber, qualis in eclipsi esse solet, sed manebit candida; cf. Ov. Am. I. 8, 12: „Purpureus Lunae sanguine vultus erat“ et ibid. II. 1, 23: „Carmina sanguineae deducunt cornua lunae“. — *in niveis . . . equis* ut Soli quadrigas,

Lunae bigas tribuunt poetae, quibus per caelum vehatur, ut Pseudoverg. Cir. 38: „candida Lunae Sidera caeruleis orbem pulsantia bigis“. Cf. Ov. Am. II. I, 24: „niveos Solis euntis equos“ et Lygd. 6, 8: „Fulserit hic niveis Delius (i. e. Sol.) alitibus“ i. e. equis alatis.

V. 259—260. *recantatas... curas*, magico cantu depulsas. — *curas*, amores. — *vivo sulphure victus amor*, sulphuri vim purgandi et sanandi tribuerunt antiqui; cf. Hom. Od. XXII. 481: οἷσε θεῖον, γοῆν, κακῶν ἄχος, οἷσε δέ μοι πῦρ, Ὅηρα θειώσω μέγαςον. Sulpur purgat infelici amore, velut morbo quodam; cf. Tibull. I. 2, 59—61, (de se infelicitate amante): „nempe haec eadem se dixit amores Cantibus aut herbis solvere posse meos, Et me lustravit taedis“ i. e. face sulphurata ex taeda, ut Iuven. II. 157—158: „cuperent lustrari, si qua darentur Sulpura cum taeda“. — *vivo sulphure*, vivum sulphur quid significet, docemur Plin. N. H. XXXV. 175: „vivum, quod Graeci apyron vocant nascitur solidum, hoc est glaeba. Solum (cetera enim liquore constant et conficiuntur oleo incocta) vivum effoditur tralucetque et viret... habet in religionibus locum ad expiandas suffitu domos“.

V. 261—262. *Quid te Phasiacae iuverunt gramina terrae, Cum cuperes patria, Colchi, manere domo, Quid tibi profuerunt, Circe, Perseides herbae, Cum sua Neritias abstulit aura ratis*, cf. Ov. A. A. II. 103—104: „Phasias Aesoniden, Circe tenuisset Ulixem, Si modo servari carmine posset amor“. — *Phasiacae... terrae*, Colchis, ubi est fluvius Phasis. — *gramina*, sc. magica. — *Colchi*, Medea, filia Aeetae, regis Colchidis, quae amore Iasonis plecta reliquit quamvis invita patriam. — *Perseides herbae*, Circe erat filia Solis et Perseidis, cf. Hesiod. Theog. 956—957; altera forma nominis *Persa*, occurrit apud Hygin. Fab. praef. extr.; *herbae Perseides* igitur significant herbas magicas a Perseide sive Persa Circae datas. — *sua... aura*, ventus secundus; cf. adn. supra ad vs. 14. — *Neritias... rates*, naves Ulixis, qui *dux Neritius* dicitur Ov. Fast. IV. 69, et Trist. I. 5, 57. a Nerito, monte Ithacae; cf. Hom. Od. IX. 21—22: καί τ' αὖ δ' Ἰθάκην ἐνδείκλον ἐν δ' ὄρος ἀντὶ Νήριτον εἰροσίην ἄλλον.

V. 265—266. *callidus hospes*, Ulixes versutus, πολύτροπος. — *lintea*, vela.

V. 268. *at scripsi cum editionibus veteribus*, desideratur enim coniunctio adversativa: sed, tamen; *et*: codices.

V. 269. *Vertere tu poteris homines in mille figuras*, sicut socios Ulixis in bestias.

V. 271—272. *Diceris, . . . Dulichium verbis detinuisse ducem*; verba haec Circes ad Ulixem abiturum conferenda sunt cum colloquio Calypsus et Ulixis Ov. A. A. II. 125. sqq. — *Dulichium . . . ducem* Ulixem; nam Dulichium insula fuit non procul ab Ithaca, regno Ulixis subiecta.

V. 277. *spatium pro munere posco*, sc. temporis spatium ad morandum, ut Dido ad Aeneam Verg. Aen. IV. 433: „Tempus inane peto, requiem spatiumque furori“.

V. 279. *debes illa timere*, ob iram Neptuni, qui Ulixem persecutus est propter filium suum Polyphemum ab eo caecatum.

V. 281—282. *non hic nova Troia resurgit, Non alius socios Rhesus ad arma vocat*, cf. Ulixis narrationem Ov. A. A. II. 133. sqq. ubi cum Calypso colloquens inducitur: „Haec, inquit, Troia est (muros in litore fecit) Hic tibi sit Simois, haec mea castra puta . . . Illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi“. — *socios*, sc. Troianorum. — *Rhesus*, rex Thracum, qui Troianis auxilio venit, sed a Diomede et Ulixem in somno obtruncatus est; cf. Hom. Il. X. 405—503. Victoriā de Rhese iactat Ulixes etiam in Ov. Met. XIII. 248. sqq., in oratione adversus Aiācem.

V. 286. *Inrita . . . verba lulere Noti*, de periuriis amantum, ut Tibull. I. 4, 21: „Veneris periuria venti Inrita per terras et freta summa ferunt“, Lygd. 6, 49: „periuria ridet amantum Iuppiter et ventos inrita ferre iubet“, O. A. A. I. 633: „Iuppiter ex alto periuria ridet amantum Et iubet Aeolios irrita ferre Notos“ et Am. II. 16, 45—46: „Verba puellarum, foliis leviora caducis Inrita, qua visum est, ventus et unda ferunt“. Dicuntur ceterum omnia, quae ad irritum cadunt, ventis auferri, ut Catull. 80, 9—10: „tua dicta omnia factaque Ventos irrita ferre ac nebulas aërias sinis“ et ibid. 64, 142: „Quae cuncta aërii discerpunt irrita venti“, Verg. Aen. IX. 312: „Multa patri mandata dabat portanda, sed aërae Omnia discerpunt et nubibus irrita donant“, Tibull. I. 5, 35: „quae nunc Eurusque Notusque Iactat odoratos vota per Armenios“, Lygd. 4, 95—96: „Haec deus in melius crudelia somnia vertat Et iubeat tepidos irrita ferre Notos“, Ov. Am. II. 8, 19—20: „Tu dea, tu iubeas animi periuria puri Carpathium tepidos per mare ferre Notos“.

V. 287. *adsuetas Circe decurrit ad artes*, ut Ov. A. A. II. 39: „Fallitur, Haemonias si quis decurrit ad artes“.

V. 291. *domina . . . in Urbe*, Romae, quae erat domina terrarum;

cf. Ov. Trist. III. 7, 51—52: „Dumque suis victrix omnem de montibus orbem Prospiciet domitum Martia Roma“.

V. 293. *vindex*, liberator; cf. supra vss. 73—74, et adn. ad h. l. — *dedoluitque semel*, dolorem finivit; verbum insolitum, quod bis tantum occurrit apud scriptores Latinos, hoc loco et Ov. Fast. III. 480.

V. 302. *Sub titulum nostros misit avara Lares*, ex Tibull. II. 4, 53—54. (de Nemesi): „Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas, Ite sub imperium sub titulumque Lares“. *Sub titulum Lares millere* est domum patriam venalem proscribere; nam qui aedes suas vendere volebant, tabula adfixa (i. e. titulo) indicabant hoc praetereuntibus.

V. 303—304. *iurata fefellit*, eadem verba in fine hexametri Ov. Am. III. 3, 1: „Esse deos i crede, fidem iurata fefellit“. — *Ante suas... passa iacere fores*, sc. amatorem exclusum; cf. supra vs. 35—36, et adn. ad h. l.

V. 306. *Institor... noctes... habet*, i. e. homo humillimae condicionis; ex Hor. Carm. III. 6, 29: „Sed iussa coram non sine conscio Surgit marito, seu vocat *institor*, Seu navis Hispanae magister“ et Epod. 17, 20: „O nautis multum amata et institoribus“.

V. 307. *inacescant*, i. e. tamquam amara fiant, amarum dolorem adferant, ut Apul. Met. V. 10: „si tibi inacuit nostra contumelia.“ Simile est apud Hor. Sat. II. 7, 107: „Nempe *inamarescunt* epulae sine fine petitae.“

V. 311. *cura*, amor; cf. supra vs 170, et adn. ad h. l.

V. 313—314. *Podalirius*, Machaon et Podalirius fratres, filii Aesculapii, erant medici Graecorum Troiam oppugnantium; cf. Hom. Il. II. 732: *Ἀσκληπιοῦ δὲ πᾶσι παῖδες, ἰητῆρ' ἀγαθῶ, Ποδαλείριος; ἥ δ' ἔσθ' Ἰφιδάμανος*. — *herbis*, sc. magicis. — *turpiter*, in pudorem meum.

V. 321—322 *quam multum poscit amantem*: *Haec odio venit maxima causa meo*, ut Ov. Am. I. 10, 63: „Nec dare, sed pretium posci dedignor et odi“.

V. 323—324. *Et mala sunt vicina bonis*, contrarium apud Ov. A. A. II. 662: „Et lateat vitium proximitate boni“.

V. 325—326. *in peius doles deflecte puellae*, contrarium dicit Ov. A. A. II. 657: „Nominibus mollire licet mala“, i. e. vitia puellarum amatarum ab amatore bono speciosis nominibus esse tegenda, quod in amore plerumque fieri docuit iam Lucret. IV. 1160. sqq. et Hor. Sat. I. 3, 38. sqq.: „Illuc praevertamur, amatorem quod amicae

Turpia decipiunt caecum vitia aut etiam ipsa haec Delectant“ — *dotes*, sc. corporis et animi — *brevi limite*, discrimine parvo.

V. 327—328. *Turgida, si plena est... vocetur*, contrarium apud Ov. A. A. II. 660: „Dic... quae turgida, plenam“. — *si fusca est, nigra vocetur*, contrarium apud Ov. A. A. II. 657: „fusca vocetur, Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit“. — *In gracili macies crimen habere potest*, contrarium apud Ov. A. A. II. 660: „Sit gracilis, macie quae male viva sua est“.

V. 330. *Et poterit dici rustica, si qua proba est*, quod re vera fecit Ovidius, qui in probitate Romanorum antiquorum nihil nisi rusticitatem vidit; cf. Ov. A. A. I. 307: „fuge rustice longe Hinc pudor: audentem Forsque Venusque iuvant“; ibid. II. 565: „Nec Venus oranti... Rustica Gradivo difficilisque fuit“; ibid. III. 121. sqq.: „Prisca iuvent alios: ego me nunc denique natum Gratulor: haec aetas moribus apta meis“ et ibid. 127. sq.: „quia cultus adest nec nostros mansit in annos Rusticitas, priscis illa superstes avis“.

V. 331 - 332. *quacumque caret tua femina dote Hanc moveat*, contrarium monitum ad viros Ov. A. A. I. 596: „Et quacumque potes dote placere, place“ et ad puellas Ov. A. A. III. 261: „occule mendas Quaque potes, vitium corporis abde tui“.

V. 333—334. *Exige, uti cantet, si qua est sine voce puella, Fac sallet, nescit si qua movere manum*, contrarium dicit Ov. A. A. I. 595. (de viris): „Si vox est, canta, si mollia bracchia, salta“ et ibid. II. 305: „Bracchia saltantis, vocem mirare canentis.“ — *sallet, nescit si qua movere manum*, manum, non pedem dixit poeta, quia gestus manuum et brachiorum in saltatione antiquorum plus commendabantur, quam motus pedum; cf. Ov. A. A. III. 319—350: „Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam Ut moveat posito bracchia iussa mero“? et ibid. II. 305: „Bracchia saltantis... mirere“, ibid. I. 595: „si mollia bracchia, salta“.

V. 337—338. *Durius incedit: fac inambulet*, feminam autem molles motus decent; cf. monitum ad puellas Ov. A. A. III. 298: „Discite femineo corpore ferre gradus: Est et in incessu pars non contempta decoris, Allicit ignotos ille fugatque viros“ et ibid. 305: „Sed sit, ut in multis, modus hlc quoque: rusticus alter, Motus concesso mollior alter erit“; Prop. II. 12, 24. (de Cynthia): „ut soleant molliter ire pedes“; Senec. Nat. Quaest. VII. 31, 2: „tenero et molli incessu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedi

mus“. — *omne papillae Pectus habent*, i. e. mammae magnae totum pectus occupare et tegere videntur“. — *vitium fascia nulla tegat*, fascia pectoralis, qua feminae et ad papillas iusto minores tegendas et ad papillas nimias compescendas utebantur; cf. contrarium monitum ad puellas Ov. A. A. III. 274: „Angustum circa fascia pectus eat“, Martial. XIV. 139: „Fascia crescentes dominae compesce papillas“, Hieron. Ep. 89: „papillae fasciolis comprimuntur et crispanti cingulo angustius pectus artatur“.

V. 339—340. *Si male dentata est, narra, quod rideat, illi*, contrarium monitum ad puellas Ov. A. A. III. 279—280: „Si niger aut ingens aut non erit ordine natus Dens tibi, ridendo maxima damna feres“. — *Mollibus est oculis*, agitur de oculis udis et facile lacrimantibus.

V. 341—342. *Proderit... cum se non finxerit ulli, Ad dominam celeres mane tulisse gradus*, cf. contrarium monitum ad puellas Ov. A. A. III. 209. sq.: „Non tamen expositas mensa deprendat amator Pyxidas: ars faciem dissimulata iuvat“.

V. 346. *aegide*, tamquam thorace; est enim aegis thorax in pectore Minervae capite Medusaeo ornatus. — *dives Amor*, agitur enim de amore in puellam gemmis auroque tectam, ut supra vs. 343. docemur, ergo de amore tamquam divitiis inflammato.

V. 348. *Infelix vitiis excidet illa suis*, i. e. puellam infelicem vitiorum suorum consciam, animus paene relinquet; *excidere* eodem sensu Ov. A. A. I. 539: „Excidit illa metu“ et Senec. [De ira III. 141: „excidere sibi“.

V. 350. *Fallit enim multos forma sine arte decens*, nam secundum Ov. A. A. III. 257: „Formosae [non] artis [opem] praeceptaque quaerunt: Est illis sua dos, forma sine arte potens“.

V. 351. *compositis... venenis*, medicamentis faciei, quae ex diversis partibus miscentur. *Mixtura talium* medicamentorum accurate describitur Ov. Med. Fac. 53. sqq. — *compositis*, terminus technicus medicinae de medicamentis, quae ex diversis partibus constant; cf. Scrib. Comp. 10. „Medicamentum, quod ex his rebus componitur“, Colum. VI. 4, 1: „Vires custodiuntur medicamento, quod componitur“ etc. — *linet ora*, cf. Ov. Med. Fac. 99—100: „Vidi, quae gelida madefacta papavera lymphæ Contereret teneris, inlineretque genis“.

V. 353—354. *Pyxidas invenies*, cf. monitum ad puellas Ov. A. A. III. 209—210: „Non tamen expositas mensa deprendat amator

Pyxidas". — *mille colores*, ad genas colorandas. — *Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus*, ut Ov. A. A. III. 211—213: „Quem non offendat toto faex inlita vultu, Cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus? Oesypa quid redolent"? — *oesypa*, oesypum est medicamentum faciei e squalore lanae factum; cf. Ov. A. A. III. 213: „Oesypa quid redolent, quamvis mittatur Athenis Demptus ab immundo vellere sucus ovis"; Plin. N. H. XXX. 28: „maculas in facie oesypum cum melle Corsico, quod asperrimum habetur, extenuat" et ibid. XXIX. 35: „Quin ipsae sordes pecudum sudorque feminum et alorum adhaerentia lanis — oesypum vocant — imnumeris prope usus habent".

V. 355—356. *Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas*, i. e. mali odoris sunt. Phineus, rex Salmydessi in Thracia, filios suos a noverca eorum Idaea sive Idothea instigatus caecavit; quare dii caecum fecerunt et ipsum punieruntque perpetua fame; quiescuntque enim mensae accumbere voluit, Harpyiae cibos rapuerunt mensamque inquinaverunt stercore suo. Cf. Aeschyl. Eumen. 46. sqq., Verg. Aen. III. 212. sqq., Ov. Met. VII. 3. sqq. Lucretius quoque dicit de femina se ornante IV. 1150: „miseram tectris se suffit odoribus ipsa". — *Non sevel hinc stomacho nausea facta meo est*, cf. Lucret. IV. 1153. de amatore ad puellam se ornantem admisso: „At lacrimans exclusus amator limina saepe Floribus et sertis operit postisque superbos Urguit amaricino et foribus miser oscula figit, Quem si iam admissum venientem offenderit aura Una modo, causas abeundi quaerat honestas".

V. 357. *medio Veneris... in usu*, in concubitu; cf. infra vs. 399. sqq.

V. 361. *carpsere*, reprehenderunt.

V. 363. *toto canter in orbe*, cf. Ov. Am. I. 3, 25: „Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem" et ibid. I. 15, 7—8: „mihi fama perennis Quaeritur, in toto semper ut orbe canar", Her. 15, 28: „Iam canitur toto nomen in orbe meum", Trist. IV., 10, 128: „in toto plurimus orbe legor" et A. A. II. 740: „Cantetur toto nomen in orbe meum".

V. 366. *ex illo*, sc. ex livore. — *Zoile*, Zoilus sophista, aequalis Isocratis quarto a. Chr. n. saeculo, obtrectator Homeri, qui cognomine Ὀμηρομάστις appellabatur. Cf. Suid. s. v., Alleg. Hom. c. 14., Vitruv. Architect. VII. praef. 8—9.

V. 368. *Pertulit huc victos quo duce Troia deos*, Vergilius, qui in Aeneide egit de Penatibus Troiae ab Aenea in Italiam translatis.

Contra Vergilium Carbilus Pictor edidit librum, qui inscriptus est *Aeneidomastix*, quo provocatus Asconius Pedianus librum scripsit *Contra obtrectatores Vergilii*.

V. 369—370. *perflant altissima venti, Summa petunt dextra fulmina missa Iovis*, ut Hor. Carm. II. 10, 9—12; „Saepius ventis agitur ingens Pinus . . . feriuntque summos Fulgura montes“.

V. 372. *ad numeros exige quidque suos*, metire suo quidque modulo; cf. Hor. Ep. I. 7, 98: „Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est“.

V. 373—374. *Fortia . . . bella*, i. e. argumentum carminis heroici. — *Maenionio . . . pede*, versu Homérico, epico, i. e. hexametro. — *Maenionio*, Homérico; nam Homeros Smyrnae in Maenonia (Lydia) natus esse putabatur. — *Deliciis*, deliciae, i. e. lascivia, conveniunt poesi amatoriae; cf. Ov. Trist. II. 78. de carminibus suis amatoriis: „Delicias legit qui tibi cunque meas“, ibid. 349: „Sic ego delicias et mollia carmina feci“, ibid. 307. de Callimacho, poeta erotico: „Nec tibi, Battiae, nocuit, quod saepe legenti Delicias versu fassus es ipse tuas“ et Trist. IV. 1, 15: „Delicias si quis lascivaque carmina quaerit“.

V. 375—376. *Grande sonant tragici*, utuntur dicendi genere sublimi; cf. Hor. A. P. 80: „grandesque cothurni“. — *tragicos . . . cothurnos*, cothurnus, calceus tragoedorum altus, hoc loco sensu translato stilum (dicendi genus) tragicum significat. — *ira*, intellege non iram solum, sed quodcumque *πένθος*. — *Usibus e mediis soccus habendus erit*, i. e. e cotidiano usu et consuetudine hominum argumentum stilumque comoediae esse assumenda; cf. Hor. Ep. II. 1, 168—169: „ex medio . . . res arcessit . . . comoedia“. — *soccus*, calceus humilis comoedorum, hic sensu translato comoediam ipsam significat.

V. 377—378. *Liber in adversos hostes stringatur iambus*, iambus ab Archilocho inventus, ab Horatio in epodis imitando expressus, est carmen invectivum vehementissimum. Cf. Ov. Ib. 51—52: „in te mihi *liber iambus* Tincta Lycambeo sanguine tela dabit“. — *in adversos hostes stringatur*, ut dicitur gladius in aliquem stringi; cf. Hor. Sat. II. 1, 39—42 (de satira): „sed hic stilus haud petet ultro Quemquam animantem et me veluti custodiet *ensis* Vagina tectus: quem cur destringere coner Tutus ab infestis latronibus“ et Catull. 36, 5: „Desissemque truces *vibrare iambos*“ et Iuven. I. 165. de Lucilio satirarum scriptore: „Ense velut stric'o quotiens Lucilius ardens

Infremuit". — *Sen celer*, i. e. trimeter iambicus. Cf. Hor. Carm. I. 16, 24: „*celerēs iambos*“ et A. P. 251—253: „Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus, *Pes citus*, unde etiam trimetris ad crescere iussit Nomen iambeis“. — *extremum seu trahat ille pedem*, scazon sive versus Hipponacteus, i. e. genus trimetri iambici, ubi in sexto pede pro iambo trochaeus ponitur, metrum solitum poeseos *σχωπιτικῆς*. — *trahat . . . pedem*, ut pedem trahere dicuntur claudi; alludit ad nomen Graecum huius metri: *σκάζων*, quod claudicantem significat.

V. 380. *Et levis arbitrio ludat amica suo*, i. e. in elegia celebrentur lusus amoris. — *levis . . . amica*, Graece *ἑταῖρα*, i. e. meretrix; nam a poetis eroticis tales potissimum puellae celebrabantur.

V. 381—382. *Callimachi numeris*, i. e. distichis elegiacis. — *Callimachi*, princeps elegiae Graecae, aetatis, quae dicitur, Alexandrinae. — *Achilles*, i. e. argumentum heroicum. — *Cydippe*, i. e. argumentum elegiacum. Acontius, qui Cydippen amabat, ut eam sibi nubere cogeret, malo (pomo) pulcherrimo haec verba inscripsit: *μὲ τῇρ Ἀκόντιον γαμοῦμαι*. Hoc malum obiecit Cydippae templum Dianae Delium visitanti, Cydippe autem malum tollens et inscriptionem tamquam coram dea legens iureiurando inscia se obstrinxit, ut Acontii uxor fieret. De hac fabula scripsit elegiam celeberrimam Callimachus, cuius fragmenta extant; idem argumentum tractat Callimachi vestigia sequens Ovidius Her. 20. és 21. (epistula Acontii ad Cydippen et Cydippae ad Acontium.) — *oris, Homere, tui*, i. e. argumentum elegiacum non est tractandum stilo epico. Epicis *os magnum* (i. e. grandisonum) tribuunt poetae; cf. Hor. Sat. I. 4, 13—14. (de vero poeta): „Ingenium cui sit, cui mens diviniior atque *os Magna sonaturum*“, Prop. II. 10, 12, (de se carmen epicum scripturo): „*magni nunc erit oris opus*“ et Ov. Am. I. 1, 11—12. (de conatibus suis epicis): „Ausus eram, meminī, caelestia dicere bella Centimanumque Gyn, et *satis oris erat*“.

V. 383—384. *Andromaches*, i. e. heroinae tragicæ. De Hectoris uxore extat celeberrima Euripidis tragoedia, *Andromache* — *Thaïda*, i. e. meretricem, personam comicam. Thais erat meretrix clarissima Attica, amica Alexandri Magni. Eodem nomine inscripsit celeberrimam comoediam Menander, comodiae quae dicitur novae princeps, ubi primarias partes egit Thais meretrix; nomen meretricis est *Thaïs* etiam in Terentii Eunuchō. Ceterum de meretricum amoribus agitur potissimum in nova Atticorum comoedia, sicut etiam apud Plautum et Terentium. — *in Andromache*, i. e. Andromaches partibus in tragoedia.

V. 385—386. *Thais in arte mea est*, referendum imprimis ad Artem Amatoriam, in cuius exordio Ovidius se non matronis, sed meretricibus solis et de meretricibus scribere profitetur I. 31: „Este procul vittae tenues, insigne pudoris, Quaeque tegis medios instita longa pedes: Nos Venerem tutam concessaque furta canemus Inque meo nullum carmine crimen erit“ et Trist. II. 303—304: „Et procul a scripta solis meretricibus Arte Summovet ingenuas pagina prima manus“. — *lascivia libera*, licita, concessa. — *Nil mihi cum villa*, cum matronis honestis, ut Ov. A. A. I. 31: „Este procul, vittae tenues“. Matronae enim vittam in capite, stolam longam (i. e. tunicam ad pedes demissam) cum instita in ima parte et pallam gestabant, libertinae et meretrices tunicam breviorē et togam muliebrem.

V. 387. *materiae . . . iocosae*, i. e. argumento erotico; *iocos* vocare solent poetae erotici carmina sua, ut Ov. Trist. II. 493—494. de se: „non tristia carmina feci: Sed tristis nostros poena secuta *iocos*“.

V. 389—390. *Livor edax*, mordax, ut Ov. Am. I. 15, 1: „Quid mihi, *Livor edae*, ignavos obicis annos“. Cf. Ov. Trist. IV. 10, 123—124: „Nec, qui detrectat praesentia, Livor iniquo Ullum de nostris dente momordit opus“. — *quo pede coepit, eat*, i. e. qua celeritate huc usque crevit, eadem posthac augeatur. Cf. Ov. Trist. I. 9, 66: „Quo bene coepisti, sic pede semper eas“.

V. 391—392. *vivam modo, plura dolebis*, poeta significat se a poesi amatoria ad maiora opera transiturum, quod mox re vera fecit in Metamorphoseon et Fastorum libris. — *capient animi carmina nulla mei*, referendum ad fertilitatem venae poeticae. — *capient*, tamquam concipient, ut fetum ingenii. Cf. Ov. Trist. III. 1, 63—64: „Quaeque viri docto veteres *cepere* novique Pectore, lecturis inspicienda patent“.

V. 393—394. *invat* sc. me studium poeticum. — *Principio clivi noster anhelat equus*, ergo nondum perveni ad summum artis meae cacumen. Eodem sensu Ov. Her. 20, 43—44: „Mille doli restant: clivo sudamus in imo, Ardor inexpertum nil sinet esse meus.“

V. 395—396. *Tantum se nobis elegi debere fatentur, Quantum Vergilio nobile debet epos*, poeta igitur se principem elegiae Romanae dicit, quippe qui Galli, Tibulli Propertiique vestigia secutus hoc genus ad summam adduxerit perfectionem.

V. 397—398. *attrahe lora Fortius et gyro curre, poeta, tuo*,

ut Ov. A. A. III. 467—468 : „supprime habenas, Musa, nec admissis excutiare rotis.“ Sensus est : redi ad propositum, noli ultra propositum evagari. Imago ab arte equitandi ducta ; mos erat enim equitum Romanorum equos in gyros ire cogere. Cf. Hor. Carm. III. 7, 25 : „Quamvis non alius flectere equum sciens Aeque conspicitur gramine Martio,“ Prop. III. 19, 10 : „gyrum pulsat equis,“ Ov. A. A. III. 381 : „in gyros ire coactus equus.“ — *gyro curre, poeta, tuo*, ex Prop. III. 3, 21 : „Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros.“ Cf. Iuven. I. 19—20. (de satiris suis) : „Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo, Per quem magnus equos Aurunca flexit alumnus“ sc. Lucilius.

V. 399. *opus iuvenale*, i. e. res Venerea.

V. 402. *ineas quamlibet*, sensu obsceno.

V. 404. *a prima proxima*, secunda, ut Iuvenal. X. 125 : „Conspicuae divina Philippica famae, Volveris a prima quae proxima.“

V. 407—408. *El pudet et dicam*, similiter de eadem re Ov. A. A. III. 769—770 : „Ulteriora pudet docuisse, sed alma Dione : Praecipue nostrum, quod pudet — inquit — opus.“ — *Venerem quoque iunge figura*, *Qua minime iungi quamque decere putas*, contraria monita ad puellas de modis Veneris Ov. A. A. III. 771. sqq. : „Nota sibi sit quaeque : modos a corpore certos Sumite : non omnes una figura decet.“ — *figura*, sive modus Veneris i. e. concubitus ; cf. Ov. A. A. III. 679 : „Venerem iungunt per mille figuras : Inveniet plures nulla tabella modos“ et Am. III. 19, 20 : „Inque modos Venerem mille figuret amor“ et Trist. II. 524 : „Sic quae concubitus varios Venerisque figuras Exprimat, est aliquo parva tabella loco.“ — *quamque*, pronomen : quamque puellam.

V. 411—412. *Tunc etiam iubeo totas aperire fenestras Turpique admisso membra notare die*, contrarium dicit Ov. Am. I. 5, 3. sqq. : „Pars adaperita fuit, pars altera clausa fenestrae . . . Illa verecundis lux est praebebenda puellis, Qua timidus latebras speret habere pudor“ et A. A. III. 619—620. (de re Venerea) : „Et si non tenebras, at quiddam nubis opacae Quaerimus atque aliquid luce patente minus“ et ibid. III. 807. (monitum ad puellas) : „Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris : Aptius in vestro corpore multa latent.“ — *die*, luce diurna.

V. 413. *ad metas venit finita voluptas*, imago a ludis circensibus ducta, ut Ov. A. A. II. 727 : „Ad metam properate simul :

tum plena voluptas, Cum pariter victi femina virque iacent.“ Cf. Dioscoridis epigramma Anth. Pal. V. 54, 4: ἤνυσεν ἀκλιτέως τὸν Κύπριδος δόλιχον.

V. 418. *Luminaque*, oculos.

V. 425—426. *totidem mores totidemque figurae*, i. e. quot figurae corporis, tot mores animi. Cf. Philemonis fragm. 89. (II. 504. Kock): ἡμῶν δ' ὅσα καὶ τὰ σώματ' ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν καθ' ἐνός, τοσοῦτους ἐστὶ καὶ τροπὸς ἰδεῖν; Ter. Phorm. II. 4, 14: „quot homines, tot sententiae.“ — *Non sunt iudiciis omnia danda meis*, i. e. non debes iudicium meum in omnibus sequi. — *danda* permittenda.

V. 429—430. *obscenas . . . partes*, pudenda. — *amor*, libido cupido.

V. 431. *a Veneris rebus*, a concubitu.

V. 433—434. *Luditis* i. e. non serio veroque amore amatis. — *Adflarant tepidae pectora vestra faces*, sc. Amoris; i. e. tepidus est amor vester, non fervidus. Cf. adn. supra ad vs. 7. — *tepidae . . . faces*, ex Prop. I. 13, 25—26: „Una dies omnes poterit praecurrere amantes: Nam tibi non *tepidas* subdidit illa *faces*.“

V. 435. *ille puer*, Amor, ut supra ad vs. 149. (ubi cf. adn.) et 163.

V. 437. *qui clam latuit reddente obscena puella*, i. e. qui clam spectavit puellam excrementa reddentem, ut hoc turpissimo spectaculo se amore liberet.

V. 439—440. *Di melius*, i. e. duint sive ferant sive velint; cf. Ter. Phorm. 1005: „di melius duint“, Lygd. 4, 1: „Di meliora ferant“, Ov. Met. VIII. 37: „Di meliora velint“, Ov. A. A. II. 388: „Di melius“, Cic. De senect. 47: „di meliora“.

V. 445—446. *per multos tenuantur flumina rivos*, intellege rivos arte factos ad agros rigandos. — *Saevaeque diducto stipite flamma perit*, i. e. si ligna ardentia diducimus (dispergimus), vehemens ignis extinguitur. — *Saevaeque*, ex coniectura Merkelii; *haesaeque*, Parisinus Regius manu prima; alii codices aliter, sed omnes mendose. Cf. supra vs. 53: „Utile propositum est *saevas* extinguere *flamas*.“ — *diducto stipite*, collective dictum: diductis stipitibus, lignis dispersis.

V. 447—448. *Non satis una tenet cerasas ancora puppes*, eodem sensu de amore duplici Prop. II. 22, 40: „Nam melius duo defendunt retinacula navim“. — *ceratas . . . puppes*, ut Ov. Her. 5, 42: „Caerula ceratas accipit unda rates“; i. e. naves pigmento cerato (encausto) erant illitae, ne undis perviae essent. Cf. Ov. Fast. IV.

275—276: „*picta coloribus ustis* Caelestum matrem concava puppis habet“ et Plin. N. H. XXXV. 149: „Encausto pingendi duo fuere antiquitus genera, cera et in ebore cestro, id est viriculo, donec classes pingi cœpere. Hoc tertium accessit resolutis igni ceris penicillo utendi, quae pictura navibus nec sole nec sale ventisque corrumpitur“. Adde Ov. Met. XI. 512—515: „Sic, ubi se ventis admiserit unda coortis, Ibat in arma ratis multoque erat altior illis, Iamque labant cunei spoliataque *tegmine cerae* Rima patet praebetque viam letalibus undis“. — *unicus hamus*, sc. ad pisces capiendos.

V. 450. *summa victor in arce fuit*, tamquam cepit ἀκρόπολιν urbis expugnandae, i. e. plenam victoriam reportavit.

V. 451. *male creditus*, in calamitatem suam.

V. 453—454. *Pasiphaes Minos in Procride perdidit ignes*, Procris, Erechthei filia, Cephali uxor, cuius infelicem mortem narrat Ov. A. A. III, 685. sqq. et Met. VII. 694. sqq. De amore Minois, regis Cretae, in Procridem cf. Apollod. Bibl. III. 15, 1: ἔγχε... Πρόκριν δὲ ὁ Κέφαλος ὁ Αἰγιονόος. Ἡ δὲ λαβοῦσα χουτοῦν στέφανον Πτελέοντι συνεννάζεται καὶ φωραθεῖσα ἐπὶ Κεφάλου πρὸς Μίνωα φεύγει. Ὁ δὲ αὐτῆς ἐρᾷ καὶ πείθει συνελθεῖν. Εἰ δέ γε συνέλθοι γυνὴ Μίνωι, ἀδύνατον ἦν αὐτὸν σωθῆναι. Πασιφάη γάρ, ἐπειδὴ πολλαῖς Μίνως συνεννάζεται γυναιξίν, ἐφαρμάκευσεν αὐτόν. — *Pasiphae*, cf. adn. supra ad vs. 63. — *ignes*, amores. — *Cessit ab Idaea coniuge victa prior*, Phineus (cf. adn. supra ad vs. 355) primo uxorem duxit Cleopatram, filiam Boreae et Ilithyiae, deinde ea relicta Idaeam sine Idotheam. Cf. Apollod III. 200. Soph. Ant. 960. sqq.

V. 455—456. *Amphilochi frater*, Alcmaeon, qui matrem suam Eriphylen necavit, quia Eriphyle a Polynice monili pretioso corrupta maritum Amphiarum, Alcmaeonis patrem, coegit, ut inter septem duces ad Thebas oppugnandas proficisceretur, cum sciret decreto fatorum neminem ex iis rediturum. Postea Alcmaeon furore correptus fugit ex patria et post multos errores lustratus sanatusque est a Phegeo, rege Psophidis in Arcadia, cuius filiam Arsinoen (secundum alios Alphesiboeam) uxorem duxit. Iterum fugere coactus, hospitio exceptus est ab Acheloo, deo fluviali, qui ei filiam suam, Callirhoen, in matrimonium dedit. Cf. Ov. Met. IX. 407. sqq. — *Phegida*, Phegei filiam — *Callirhoe*, filia Acheloi.

V. 457—458. *Parin Oenone*, Paridem, filium Priami, inter pastores educatum amavit Oenone nympa, de qua Ov. Her. 5. —

Si non Oebalia paelice laesa foret, Paris propter Helenam reliquit Oenonen. — *Oebalia*, Helena; Oebalus enim erat rex Spartaë, pater Tyndarej, avus Helenae. Cf. Hyg. Fab. 78.

V. 459—460. *Odrysis . . . tyranno*, Tereus, rex Thraciae, maritus Prognès, de cuius scelestis in Philomelam, sororem uxoris, amore cf. adn. supra ad vs. 61. — *Odrysiis*, Thraciis; erant enim Odrysae gens Thracia. — *clausae . . . sororis*, Philomela, quam Tereus vi compressit et, ut facinus celaret, clausam tenuit. Cf. Ov. Met. VI. 572. sqq.

V. 463—464. *Fortius e multis mater desiderat unum, Quam quem jvens clamat: tu mihi solus eras*, eodem sensu de duplici amore Prop. II. 22, 42: „Tutius et geminos anxia mater alit.“ — *Fortius . . . desiderat*, fortiore animo tert desiderium; cf. Senec. Epist. 88: „Cogitavi enim, non quam fortiter ego mori possem, sed quam ille fortiter me desiderare posset.“

V. 465. *nova . . . iura*, novas leges.

V. 457. *Vidit id Atrides*, i. e. amore novo amorem veterem esse tollendum. — *Atrides*, Agamemnon.

V. 469—470. *Marte suo captam Chryseida*, Agamemnon bello Troiano captivam fecit amavitque filiam Chrysaë, sacerdotis Apollinis; cf. Hom. II. I. 11. sqq. — *At senior stulte flebat ubique pater*, Chryses filiam e captivitate redimere volebat; cf. Hom. II. I. 13. sqq.

V. 471. *bene convenit illis*, i. e. mutuo se amore diligunt; cf. Martial. VIII. 35, 3: „Miror non bene convenire vobis“ et Catul. 57. 1: „Pulchre convenit improbis cinaedis.“

V. 473—474. *Quam postquam reddi Calchas ope tutus Achillis iusserat*, Calchas, vates Graecorum, auctore imprimis Achille, reddendam esse censuit patri Chryseidem, ut Apollinis ira, qui funestam litem per exercitum Graecum sparserat, levaretur; cf. Hom. II. I. 53. sqq.

V. 475—476. *Est, ait Atrides, illius proxima formae*, intellege: est quaedam puella illius (sc. Chryseidis) formae (pulchritudini) proxima. — *formae*, scripsi, ut dativus cum *proxima* iungeretur; *forma*: codices. — *si prima sinat syllaba, nomen idem*, i. e. Briseis, captiva et amica Achillis, ab Agamemnone erepta.

V. 478. *Si minus, imperium sentiet ille meum*, cf. Agamemnonis verba ad Achillem Hom. II. I. 183: ἐγὼ δὲ κ' ἄγω Βρισηίδα καλλιπάρηον Ἀντὸς ἰὼν κλισίῃθδε, τὸ σὸν γέρας, ὃ γὰρ ἐν εἰδῆς, Ὅσσον φέρτερός εἰμι σέθεν.

V. 479. *Achivi*, Ἀχαιοί, ut Homerus Graecos nominare solet.

V. 482. *Thersites*, turpissimus et contemptissimus Graecorum Troiam oppugnantium.

V. 484. *cura* ... *nova*, amore novo; cf. adn. supra ad vs. 170.

V. 486. *distineatur*, ut Hor. Carm. IV. 3, 9: „Dulci distinet a domo.“

V. 487—488. *Quaeris, ubi invenias; artes tu perlege nostras*, ubi puellae Romanae inveniantur, copiose exposuit Ov. A. A. I. 41—262. — *ubi invenias*, cf. Ov. A. A. I. 35: „Principio, quod amare velis, reperire labora.“ — *Plena puellarum iam tibi navis erit*, ut navis boni piscatoris plena est piscium. Amoris cum piscatu comparatio etiam supra vs. 448: „Nec satis est liquidis unicus hamus aquis.“

V. 489—490. *Apollo* ... *perdocet* ... *ore meo*, cf. supra vs. 75—78.

V. 491—492. *Aetna*, per metonymiam de fervore amoris. — *tuae*, sc. amicae; solita ellipsis in poesi erotica, ut Hor. Carm. I. 15, 32: „Non hoc pollicitus tuae“ et Tibull. I. 15, 42: „narrat scire nefanda meam.“

V. 495. *curas*, amores; cf. adn. supra ad vs. 170.

V. 497. *positos*, depositos.

V. 500. *somno lumina victa dedi*, ut Tibull. I. 2, 2: „Occupet ut fessi lumina victa sopor.“ — *victa*, ut Prop. III. 17, 42: „Atque hoc sollicitum vince sopore caput“. — *lumina*, oculos.

V. 505—506. *Dixerit, ut venias: pacta tibi nocte venito; Veneris et fuerit ianua clausa, feres*, cf. Ov. A. A. II. 523—524: „Clausula tibi fuerit promissa ianua nocte: Perfer et immunda ponere corpus humo“.

V. 507—508. *Nec dic blanditias nec fac convicia posti*, quod amatores exclusi facere solent, ut supra vs. 35—36: „Et modo blanditias, rigido modo iurgia posti Dicat“, ubi cf. adn. et Ov. Amor. II. 9, 45: „Et modo blanditias dicat, modo iurgia neclat“. Contrarium monitum Ov. A. A. II. 527: „Postibus et durae supplex blandire puellae“. — *fac convicia*, ut Ov. Am. I. 7, 21: „At taciti fecere tamen convicia vultus“ et Met. IX. 302: „ingrato facio convicia demens Vana Iovi“. — *Nec latus in duro limine pone tuum*, amatores exclusi per totam noctem ante ianuam amicae iacere solent; contrarium Ov. A. A. II. 524: „Perfer et immunda ponere corpus

humo". Cf. Prop. II. 6, 1—2: „Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes, Ad cuius iacuit Graecia tota fores" et ibid. I. 16, 22. (verba amatoris exclusi): „Turpis et in tepido limine somnus erit".

V. 511—512. *te languere*, amorem tuum languescere. — *feres*, accipies.

V. 514. *frenis saepe repugnat equus*, ut Ov. Trist. IV. 6, 24: „Et domitus freno saepe repugnat equus" et Am. III. 4, 13—16: „Vidi ego nuper equum contra sua vincla tenacem Ore reluctanti fulminis ire modo: Constitit, ut primum concessas sensit habenas Frenaque in effusa laxa iacere iuba".

V. 516. *retia*, sc. aucupatoria; cf. supra vs. 208. et adn. ad h. l.

V. 517—518. *sibi tam placeat*, superbiat. — *animos*, fortitudinem. — *gaudia ferre*, gaudio frui.

V. 524. *conciliantis*, amorem inter iuvenes puellasque conciliantis; cf. infra vs. 531. sqq.

V. 527—528. *Corpora vix ferro quaedam sanantur acuto*, *Auxilium multis sucus et herba fuit* i. e. alii fortioribus, alii levioribus medicamentis curantur; cf. supra vs. 229. et adn. h. l. et Ov. Her. 20, 185—186: „Ut valeant, aliae ferrum patiuntur et ignes, Fert aliis tristem sucus amarus opem." — *sucus et herba*, ut Tibull. I. 6, 13: „Tum sucos herbasque dedi, quis livor obiret."

V. 530. *tua saevus Amor sub pede colla premet*, ex Prop. I. 1, 4: „Et caput impositis pressit Amor pedibus." Cf. fragmentum Parthenii (Meineke: Analect. Alex p. 230.): ἀμφοτέρους ἐπιβὼς Ἄρως (= Ἔρως) ἐλήϊσται et Paul. Silent. Anth. Pal. V. 267. de Amore: λᾶξ ἐπιβὼς στέροισι πικρὸν ἔπηξε πόδα. In imaginibus antiquorum saepe conspicitur Amor leonis collum pede premens.

V. 531. *tua carbasia*, vela.

V. 534. *e medio . . . amne bibas*, copiam abundantiamque significat; cf. Hor. Sat. I. 1, 55—56: „magno de flumine mallet, Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere."

V. 540. *Iam quoque*, malim: *Tum quoque*

V. 545—546. *ut sua sit*, sc. puella amata. — *Machaonia*, de Machaone, medico Graecorum Troiam oppugnantium cf. adn. supra ad vs. 313.

V. 549—550. *Est prope Collinam templum venerabile portam*, — *Imposuit templo nomina celsus Eryx*, templum Veneris Erycinae bello

Ligurico a consule L. Porcio votum et anno a. Chr. n. 181. erectum; cf. Liv. XL., 39, 4. Cf. Ovid. Fast. IV. 871—872: „Templa frequentari Collinae proxima portae Nunc decet; a Siculo nomina colle tenet.“

— *Eryx* mons et urbs Siciliae, ubi templum celeberrimum Veneris fuit, unde Veneris cognomen *Erycina*. Cf. Hor. Carm. I. 2, 33—34: „*Erycina* ridens, Quem Iocus circumvolat et Cupido.“

V. 551—552. *Est illic Lethaeus Amor*, simulacrum Amoris obliviosi. — *Lethaeus*, obliviosus; Lethe enim est fluvius apud inferos, unde oblivionem potant animae. Cf. Ov. Pont. II. 4, 23: „Non ego, si biberes securae pocula Lethes, Excidere hoc credam pectore posse tuo.“ — *Inque suas gelidam lampadas addit aquam*, i. e. Amor ignem facis suae aqua extinguit. Cf. Ov. Am. II. 10, 14: „In freta collectas alta quid addis aquas.“

V. 554. *duro*, crudeli.

V. 556. *somnus*, somnium.

V. 557. *modo das... Amores*, sc. in Arte Amatoria — *demis amores*, im Remediis Amoris.

V. 560. *illa* sc. mala.

V. 561—562. *Puteal... timet*, agitur de obaeratis, qui faeneratores timent. Cogitandum de Puteali Scribonii Libonis in foro, de quo Schol. ad Pers. Sat. IV. 49: „Faeneratores ad Puteal Scribonii Libonis, quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum, consistere solebant“; Cic. Sest. VIII. 18. (de Gabinio): „puteali et faeneratorum gregibus inflatus, a quibus compulsus olim, ne in Scyllaeo illo aeris alieni tamquam freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat.“ — *Puteal*, olim *bidental* fuit, i. e. locus fulmine percussus, ab haruspibus consecratus et muro lapideo in modum *putei* cinctus, ut ex Fest. s. v. *Scribonianum* (p. 494. ed. Thewrewk) elucet. — *Ianumque*, Ianus medius, arcus in foro, ubi trapezitae sedebant; cf. Cic. De off. II. 25, 90: „de quaerenda, de collocanda pecunia, vellem etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris ad *Ianum medium* sedentibus disputatur“, Hor. Sat. II. 3, 18: „postquam omnis res mea *Ianum Ad medium* fracta est“ et Epist. I. 1, 53—54: „quaerenda pecunia primum est, Virtus post nummos — haec *Ianus* summus ab imo Prodoet.“ — *celeresque Kalendas*, quo die debitores pecunias solvere debebant. Cf. Hor. Epod. 2, 69—70. — de faeneratore: „Omnem redegit Idibus pecuniam, Quaerit *Kalendis* ponere,“ et Hor. Sat. I. 3, 86—88: „debitor aeris... cum tristes

misero venere Kalendae, mercedem aut nummos unde unde extricat.“ — *celerisque*, quia dies solvendi debitoribus nimium celeriter reverti videntur. — *aeris mutua summa*, enallage: aeris mutui summa.

V. 563. *durus pater*, severus, qui filium prodigum et luxuriosum coercere conatur; persona ex nova Atticorum comoedia nota, unde Ov. Am. l. 15, 17: „Dum fallax servus, *durus pater*, improba lena Vivunt et meretrix blanda, Menandros erit“ et Ter. Heaut. III. 1, 30: „satis, iam satis *pater durus* fui“ et Hor. Sat. I, 2, 16—17. (de facneratore): „Nomina sectatur modo sumpta veste virili Sub *patribus duris lironum*.“

V. 567. *ne nascens usta sit uva*, sc. nimio solis ardore; cf. Cic. Cat. Mai. 15, 53. (de vite): „Itaque ineunte vere... exsistit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quae gemma dicitur, a qua *oriens uva* se ostendit... vestitaque pampinis nec modico tepore caret et *nimios solis defendit ardores*.“

V. 569—570. *Ille habet in reditu navim*, agitur de domino navis mercatoriae, qui reditum navis suae exspectat. — *da nno litora foeda suo*, i. e. litora naufragorum cadaveribus et dilaceratae navis partibus foedata; cf. Pers. Sat. VI. 29. sqq. de naufrago: „iacet ipse in litore et una Ingentes de puppe dei iamque obvia mergis Costa ratis lacerae“ et Hor. Epod. 10, 21—22. de naufrago: „Opima quodsi praeda curvo litore Porrecta mergos iuveris“ et Ov. Met. III. 522—523: „Mille lacer spargere locis et sanguine silvas *Foedabis*.“

V. 571. *te filia nubilis angat*, maxima boni patrisfamilias cura; cf. Lucian. Toxar. p. 621: *Μάλιστα δὲ αὐτὸν ἡνία θυγάτηρ αὐτῆ ἐπίγαμος ἤδη καὶ ὀκτωδεκατῆς ὄνσα*.

V. 573 *tuam*, sc. amatam mulierem, Helenam; cf. adn. supra ad vs. 492.

V. 575—576. *placidum... somnum*, placide dormientem. — *somnus*, somnium, ut supra vs. 556.

V. 577—578 *media navim Palinurus in unda Deserit*, cf. Ov. Trist. V. 6, 7: „Fluctibus in mediis navem, Palinure, relinquis“. *Palinurus*, gubernator Aenae, qui de nave in undas decedit; cf. Verg. Aen. V. 833. sqq.

V. 582. *turba*, multitudo; i. e. si cum hominibus multis convenies.

V. 585—586. *Phoebe*, solis. — *turba sodalis*, multitudo sodalium.

V. 589. *Pyladen aliquem*, i. e. amicum intimum; est enim Pylades, Orestis furentis amicus, exemplum amicitiae clarissimum.

V. 591. *Phyllida*, cf. adn. supra ad vs. 55.

V. 593—594. *Edono referens trieterica Baccho... turba*, feminae Thraciae bacchantes. — *Edono*, Thracio, nam Bacchi cultus e Thracia in Graeciam venisse putabatur. *Edoni*, gens Thracia; cf. Ov. Met. XI. 60, ubi *matres Edonides* appellantur feminae Thraciae bacchantes; Prop. I. 3, 5. de femina bacchante: „assiduis *Edonis* fessa choreis“. — *trieterica*, sc. sacra; festa Bacchi tertio quoque anno celebrata. — *fusis barbara turba comis*, bacchantes enim effusis comis orgia celebrabant; cf. Ov. Am. I. 14, 19: „Saepe etiam nondum digestis mane capillis... iacuit... ut Thracia Bacche“. — *barbara*, Thraces enim Graecis barbari erant.

V. 595. *longum... aequor*, magnum, ut Prop. II. 26, 29: „mare per longum mea cogitet ire puella“ et Ov. Am. II. 11, 5: „ne quis remo freta longa moveret.“

V. 597. *Demophoon*, cf. adn. supra ad vs. 55.

V. 599. *Limes*, semita.

V. 601. *Nona terebatur miserae via*, ergo novies ibat Phyllis per hoc iter Demophoontis reditum exspectans; de eadem re supra vs. 56: „Et per quod noviens, saepius isset iter.“ Erat in Thracia, ubi postea urbs Amphipolis condita est, locus *Ἐννεία ὁδοί* nominatus; cf. Herod. VII. 114. Thucyd. I. 100. et praecipue Apollod. Epit. 6, 16: *ὁ δὲ (Δημοφῶν) βουλόμενος εἰς τὴν πατρίδα ἀπιέναι, πολλὰ δεηθεὶς ὁμόσας ἀναστρέψειν ἀπέρχεται καὶ Φυλλὶς αὐτὸν ἄγχι τῶν Ἐννεία ὁδῶν λεγομένων προπέμπει*; Ov. A. A. III. 38: „Quaere, novem cur una viae dicantur et audi Depositis silvas Phyllida flesse comis.“ — *zonam*, qua se postea in arbore suspendit.

V. 604. *digitos ad sua colla refert*, sc. se suspensura.

V. 605—606. *Sithoni*, filia Sithonis; cf. adn. supra ad vs. 55. — *Non flesset positis Phyllida silva comis*, mortem Phyllidis etiam arbores lugebant foliis deiectis; cf. Ov. Her. 15, 151—152: „Quin etiam rami positis lugere videntur Frondibus.“ Ceterum Phyllis mortua in amygdalum mutata est; cf. Plin. N. H. XVI. 108. et Hyg. Fab. 59. et 243. Finis fabulae apud Serv. ad Verg. Ecl. 5, 10: „postea reversus Demophoon cognita re eius amplexus est truncum, qui velut sponsi sentiret adventum, folia emisit; unde etiam *qύλλα* dicta sunt a Phyllide, quae antea *πέταλα* dicebantur.“

V. 612. *condiderat*, in pharetra posuerat.

V. 613—614. *contagia viles*: *Haec etiam pecori saepe nocere solent*, ex Verg. Ecl. I. 50. de grege: „Nec mala vicini pecoris contagia laedent.“

V. 619—620. *Manat*, sc. in te. — *lectus*, occulto. — *in hoc*, sc. in amore ab aliis discendo. — *ingeniosa*, docilis.

V. 622. *dominae*, amicae.

V. 623. *male firma*, infirma.

V. 627—628. *quae ferre solet spatiantem porticus illam*, in porticibus homines elegantiores urbis ambulare et amantes ex composito convenire solebant; cf. Ov. Trist. II. 285—286: „Cum quaedam spatientur in hoc, ut amator eodem Conveniat, quare porticus ulla patet“ et praecipue A. A. I. 67—74, 491—496, III. 387—392; Am. II. 2, 3—4: „Hesterna vidi spatiantem luce puellam Illa, qua Danaï porticus agmen habet“, Prop. II. 23, 5—6: „quaerit totiens: quatenam nunc porticus illam Integit?“ — *officium neve colatur idem*, nolite easdem habere amicitias, in eodem amicorum circulo versari. — *officium*, de officiis amicitiae cogitandum: nolite interesse amicorum officio, ad quod puellam etiam scitis venturam.

V. 630—632. *Alter... orbis*, altera pars orbis.

V. 632. *saliens... unda*, i. e. aqua in alveo prono celeriter fluens; cf. Verg. Ecl. 5, 47: „Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo“.

V. 633—634. *Non facile est taurum visa retinere iuvenca, Fortis equus visae semper adhinnit equae*, contrarium apud Ov. A. A. I. 199—200: „Mollibus in pratis admugit femina tauro, Femina cornipedi semper adhinnit equo“.

V. 635—636. *ut tandem litora tangas*, tamquam nauta ad navigationis finem perveniens. — *ipsam*, sc. amicam.

V. 637. *conscia nutrix*, amorum puellae conscia. — *dominae... tuae*, amicae; amator enim in poesi amatoria servi partes agit apud puellam amatam.

V. 639. *flens ancillula fictum*, quae ficto fletu amatorem iratum cum puella reconciliare vult — *flens... fictum*, accusativus adiectivi pro adverbio, ut Pers. Sat. I. 90: „Verum nec nocte paratum Plorabit, qui me volet incurvasse querela“ et ibid. V. 190: „crassum ridet“.

V. 644. *causam finiti reddis amoris*, i. e. reddis causam amicis tuis, quare desieris amare.

V. 646. *effluat*, evanescat.

V. 652. *brevis... aqua*, brevis temporis, per breve tempus fluens, ut Hor. Carm. II. 13, 13—14: „nimium breves Flores amoenae... rosae“ et ibid. I. 30, 16: „breve liliū“ et Val. Flac. VI. 492: „lilia... quis vita brevis tutusque parumper Floret honor“.

V. 653—654. *Fallat et in tenues evanidus exeat auras... amor*, amor tuus ita evanescat, ut te fallat (fugiat); evanescat clam et latenter. Cf. Ov. Met. V. 435: „Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos“. Similes loci: Verg. Aen. IV. 278 = IX. 658: „Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram“; Ov. Am. II. 14, 41: „Ista sed aetherias vanescant dicta per auras“, Her. 12, 87: „Spiritus ante meus tenues vanescat in auras“ et Fast. II. 509: „in tenues oculis evanuit auras.“

V. 660. *lites* i. e. lites apud iudices in foro. — *Appias*, statua nymphae ad lacum, ubi erupit aqua Appia, non procul a templo Veneris Genitricis in foro Iulio, ubi lites orabantur. Cf. Ov. A. A. I. 79: „Et fora conveniunt... Amori... Subdita qua Veneris facto de marmore templo Appias expressis aera pulsat aquis“ et ibid. III. 451—452: „Has, Venus, e templis multo radiantibus auro Lenta vides lites Appiadesque tuae.“

V. 691. *reas faciunt*, sc. amicas priores apud iudices in foro reas agunt, eis litem intendunt.

V. 663—664. *aderam inveni*, i. e. advocatus eram, advocacionem praestabam inveni, qui amicae suae priori litem intendit; eodem sensu Ov. A. A. III. 531: „ius qui profitebitur, adsit.“ Adesse enim litigatori dicebantur advocati, i. e. iurisconsulti, qui litigatori apud iudices in foro auxilium praestabant. Cf. Pseudoascon. In div. 11: „qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est, aut advocatus, si aut ius suggerit aut praesentiam suam commodat amico.“ Ceterum Ovidius, qui erat decemvir litibus iudicandis, saepissime et libentissime utitur verbis ex disciplina iuris civilis sumptis. — *dominam*, puellam prius amatam. — *omnia verba*, sc. iuvenis actoris, litem intendentis.

V. 665. *vadalnrus*, i. e. litem incepturus; actores enim reos vadimonio obligabant, ut in iudicio die dicta adessent; i. e. rei vades dare cogebantur. Cf. Hor. Sat. I. 1, 11: „Ille datis vadibus qui rure

extractus in urbem est" et ibid. I. 9, 36: „respondere vadato Debebat, quod ni fecisset, perdere litem."

V. 667. *duplices . . . tabellae*, tabellae ceratae duplices, *διπλῆς*, quae vadimonii formulam continebant; cf. Ov. Am. I. 12, 23. de tabulis ceratis: „Aptius hae capiant vadimonia garrula cerae."

V. 676. *Vincenda est telo Penthesilea tuo*, ut Ov. A. A. II. 743—744: „Sed quicumque meo superavit Amazona ferro, Inscibat spoliis: Naso magister erat." — *Penthesilea*, in bello amoris fortissimae Amazonum reginae comparat puellam, adversus quam totis viribus sit pugnandum. Eodem sensu amatores cum Graecis Troiam oppugnantibus, puellas cum Amazonibus comparat Ov. A. A. III. 1, 2: „Arma dedi Danaïs in Amazonas: arma supersunt, Quae tibi dem et turmae, Penthesilea tuae." De Penthesilea, Martis filia, quae auxilio Troianis venit et ab Achille necata est, egit Arctinus Milesius in carmine cyclico, *Aethiopide*.

V. 677—678. *durum limen*, crudele, quippe quod amatorem excluserit. — *mediis inrita verba deis*, falsa iuramentorum verba, quibus puella deos incassum testificata est, nam secundum Ov. Am. II. 16, 45—46: „Verba puellarum, foliis leviora caducis, Inrita, qua visum est, ventus et unda ferunt." — *mediis . . . deis*, in deis testificandis.

V. 680. *toga . . . laxo conspicienda sinu*, togam laxam gestabant, homines elegantiores; cf. Hor. Epod. 4, 7—8: „sacram metiente te viam Cum bis trium ulnarum toga", Tibull. I. 6, 40: „fluit effuso cui toga laxa sinu" et II, 3; 78: „laxam quid iuvat esse togam?" Contra toga arta erat signum simplicitatis et modestiae; cf. Hor. Epist. I. 18, 30: „Arta decet sanum comitem toga" et ibid. 19, 13: „Exiguaeque togae simulet textore Catonem." — *conspicienda*, quae spectaculum pulchrum praebet hominibus; cf. Tibull. II. 3, 52: „Incedat donis conspicienda meis" et IV. 6, 3—4: „tibi se laetissima compsit, Staret ut ante tuos conspicienda focos" et I. 2, 69—70: „Totus et argento contextus, totus et auro Insideat celeri conspiciendus equo."

V. 681. *alienae . . . puellae*, a te iam alienatae, tamquam extraneae, cf. Terent. Hec. I. 2, 83: „Postquam hunc alineum ab sese videt."

V. 686. *credula turba sumus*, i. e. nos a puellis amari facile credimus; eodem sensu Tibull. IV. 4, 17—18. (da amatoribus Sul-

picias): „te solum candida secum Cogitat et frustra credula turba sedet.“ Contrarium dicit Hor. Carm. IV. 1, 30: „Iam nec spes animi credula mutui.“

V. 688. *nec aeternos pondus habere deos*, i. e. deos, quos in iureiurando testificata est puella; cf. adn. supra ad vs. 678. et Ov. Am. III. 3, 11—12: „Scilicet aeterni falsum iurare puellis Di quoque concedunt.“

V. 691—692. *Artibus innumeris*, sc. puellarum. — *lapis aeqnoreis undique pulsus aquis*, cf. Tibull. II. 4, 71. sqq. de tormentis amantum: „O ego ne possim tales sentire dolores, Quam mallem in gelidis montibus esse lapis Stare vel insanis cautes obnoxia ventis. Nanfraga quam vasti tunderet unda maris“.

V. 695. *diluat*, refutet; eodem sensu Ov. Am. II. 2, 37: „Tu contra Obiciens, quae tuto diluat illa“.

V. 699—700. *Non ego Dulichio furiales more sagittas Nec rapidas ausim tingere in amne faces*, i. e. nolim amores violenter abruptum. — *Dulichio... more*, exemplo Ulixidis, qui amores suos cum Calypso et Circe (cf. supra vs. 263. sqq.) nimium praeceps finivit. — *Dulichio*, cf. adn. supra ad vs. 272. — *furiales... sagittas... tingere in amne*, sagittae enim Amoris saepe ardere dicuntur; cf. Hor. Carm. II. 8. 13—15: „Cupido Semper ardentes acuens sagittas Cote cruenta“. — *furiales... sagittas*, sagittas Amoris, quibus iuvenes in furem aguntur; cf. Cic. Tusc. II. 8: „*furialis vestis*“ i. e. Nessi, qua Hercules indutus in furem actus est, Val. Flac. VI. 670: „*furiale aurum*“ et ibid VII. 254: „*furialia figit Oscula permixtumque odiis inspirat amorem*“. — *rapidas... faces*, sc. Amoris; faces *rapidae* i. e. ferventes dicuntur, ut dicitur: rapidus sol, ignis, rapida flamma. Eodem sensu de facibus Amoris Ov. Pont. III. 3, 60: „Sic nunquam rapido lampades igne vacent“. Contrarium supra vs. 434: „*tepidae... faces*“.

V. 701—702. *purpureas pueri... alas*, splendidis coloribus fulgentes. — *pueri*, Amoris; cf. adn. supra ad vs. 149. — *sacer... arcus*, sacer, quia deus (Amor) eum possidet; cf. adn. supra ad vs. 252.

V. 703—704. *Consilium*, prudentia. — *Phoebe saluber*, salutifer; est enim deus medicinae; cf. supra vs. 76.

V. 705. *Phoebus adest; sonuere lyrae*, cum Phoebus poetis apparet, lyrae sono eis signum dat; cf. Hor. Carm. IV. 15, 1—2; „Phoebus volentem proelia me loqui Victas et urbes increpuit lyra“,

Lygd. 4, 39: „Hanc (sc. lyram) primum veniens (sc. Phoebus) plectro modulatus eburno“ et Ov. A. A. II. 493—494: „Haec ego cum canerem, subito manifestus Apollo Movit inauratae pollice fila lyrae“. *sonuere pharetrae*, nam Apollo non solum *κίθαρις* est, sed etiam *τοξότης*.

V. 707—708. *Confer Amyclaeis medicatum vellus aenis Murice cum Tyrio: turpius illud erit*, i. e. purpura Laconica, quamvis pulchra, collata cum Tyria (Phoenicia) de suo pretio multum perdere videtur. Cf. Hor. Ep. I. 10, 26—27: „qui Sidonio contendere callidus ostro Nescit Aquinatam potantia vellera fucum“, Plin. N. H. IX. 127. de murice: „Tyri praecipuus hic Asiae, Meninge Africae et Gaetulo litore oceani, in Laconica Europae“ et ibid. 135. de purpura Tyria: „*laus* ei *summa* in colore sanguinis concreti, nigricans aspectu idemque suspectu refulgens.“ — *Amyclaeis*, Laconicis; sunt enim Amyclae urbs Peloponnesi in Laconica, non procul a Sparta, cf. Hor. Carm. II. 18, 7—8: „Nec Laconicas mihi Trahunt honestae purpuras clientae.“ — *medicatum*, infectum, pictum, ut Hor. Carm. III. 5, 28: „*lana* . . . medicata fuco“; Ov. Am. I, 14, 1: „*medicare* tuos desiste capillos“ et ibid. I. 12, 11: „*minio* penitus medicata.“ Proprie dicitur de rebus suco herbarum medicarum madefactis.

V. 711. *Utraque*, sc. Iuno et Minerva. — *Paridi*, de dearum pulchritudine iudicanti.

V. 717. *Scripta*, litteras, epistulas.

V. 721. *Thestias absentem succendit stipite natum*, cf. Ov. Fast. V. 305: „Respice Thestiaden: flammis absentibus arsit.“ Agitur de Althaea, filia Thestii, regis Aetoliae, matre Meleagri. De sorte Meleagri cf. Ov. Met. VIII. 451: „*Stipes* erat, quem cum partus enixa iaceret Thestias, in flammam triplices posuere sorores (sc. Parcae) Staminaque impresso fatalia pollice mentes: Tempora — dixerunt — eadem lignoque tibique, O modo nate, damus.“ Stipitem hunc fatalem Althaea flammis eripuit, sed postea cum Meleager fratres matris necasset, eundem stipitem in ignem coniecit et causa fuit mortis filio.

V. 723—724. *ceras*, imagines cereas amicae. — *hoc periit Laodamia modo*, Laodamia, uxor Protesilai, qui primus Graecorum, bello Troiano ceciderat, luctum suum aluit assidue spectando servatam mariti ceream imaginem, quare mox mortem sibi ipsa conscivit. Epistulam Laodomiae ad Protesilaum vide Ov. Her. 13., ubi praecipue cf. vs. 149. sqq. „Dum tamen arma geres diverso miles in orbe, Quae

referat vultus, est mihi cera, tuos . . . Hanc specto teneoque sicut pro coniuge vero."

V. 729. *refricatur amor*, ut cicatrix vulneri obducta; cf. Cic. ad Att. XII. 18: „Quae res forsitan sit refricatura vulnus meum" et Cic. Agr. 3, 2: „Refricare obductam reipublicae cicatricem".

V. 731—732. *Ut paene extinctum cinerem si sulphure tangas, Vivet et e minimo maximus ignis erit*, cf. Ov. A. A. II. 439—442: „Ut levis absumptis paulatim viribus ignis Ipse latet, summo canet in igne cinis, Sed tamen exinctas admoto sulphure Flammas Invenit et lumen, quod fuit ante, redit".

V. 735—736. *Argolides . . . puppes*, Argivae, Graecae. — *cuperent fugisse Capherea*, cf. Ov. Trist. I. 1, 83: „Quicumque Argolica de classe Capherea fugit". Caphereus est promunturium insulae Euboeae, ubi classis Graecorum post excidium Troiae in patriam revertens naufragium passa est. — *scnex luctus ignibus ulle tuos*, Nauplius, pater Palamedis a Graecis apud Troiam ob falsum prodicionis crimen caesi, mortem filii sic ultus est secundum Apollod. Epit. 6, 11: *μαθὼν τὴν εἰς τὰς πατρίδας τῶν Ἑλλήνων ἐπάνοδον τὸν εἰς τὸν Καφηρέα ἀνῆψε φρονκτόν, ἔνθα προσπελάσαντες Ἕλληνες ἐν τῷ δοκεῖν λιμένα εἶναι διεφθάρησαν*. Cf. Verg. Aen. VI. 259—260: „triste Minervae Sidus et Euboicae cautes ultorque Caphereus".

V. 737. *Niseide*, Scylla, Nisi filia (cf. adn. supra ad vs. 67.), quam ob prodicionem patris in monstrum marinum ex Odyssea Homeri notum conversam esse docent Verg. Ecl. VI. 74—77. et Prop. IV. 4, 30. 40., quos auctores Ovidius et hoc loco et Am. III. 12, 21—22. sequitur. Fabulam aliter narrant auctor *Ciris*, epyllii Psendovergiliani et Ovidius ipse Met. VIII. 1—151., ubi ex Scylla, Nisi filia, fit ciris, avis marina. Vulgo enim Scylla, monstrum marinum, non Nisi, sed Phorcj, dei marini, filia fuisse putabatur.

V. 739—740. *Haec tibi sint Syrtes, haec Acrocerounia vita, Hic vomit epotas dira Charybdis aquas*, ut Ov. Am. II. 11, 18—20: „Quas Scylla infestet quasque Charybdis aquas Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis, Quo lateant Syrtes magna minorque sinu." — *Syrtes*, Syrtis maior et minor, duo sinus maris in Africa septentrionali, nautis periculosi propter aestus et vada. Cf. Hor. Carm. II. 6, 3—4: „barbaras Syrtes, ubi Maura semper Aestuat unda." — *Acrocerounia*, ὄρη Κερραυνία sive promunturium Acrocerounium in litore Epiri apud Oricum, periculosum navigantibus propter saxa; cf. Hor.

Carm. I. 3, 20: „Infames scopulos Acrocerania.“ — *Hic vomit epotas dira Charybdis aquas*, gurgēs notissimus; cf. Ov. Pont. IV. 10, 26. de Charybdi: „Ter licet epotum ter vomat illa fretum“ et Am. II, 16, 25—28: „Charybdis Fudit et effusas ore receptat aquas“; Verg. Aen. III. 421: „imo barathro ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus rursusque sab auras Erigit alternos“; Tibull. IV. 1, 73—75: „Nec violenta suo consumpsit more Charybdis, Vel si sublimis fluctu consurgeret imo, Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.“ Omnes ex Hom. Od. XII. 237: *Ἴτροι δ' ἐξήμεσε, λείβη; ὥς ἐν πρὸ πολλῷ* et ibid. 240. *Ἄλλ' δ' ἀναβρόξει θαλάσσης ἀλμυρὸν ὕδωρ*.

V. 743—714. *Perdat opes Phaedra*, i. e. fiat pauper. De Phaedra, privignum Hippolytum amante, cf. adn. supra ad vs. 64. — *parces, Neptune, nepoti, Nec faciet pavidos taurus avitus equos*, Phaedra ab Hippolyto repudiata se a privigno temptatam esse simulavit marito Theseo, qui patrem suum Neptunum rogavit, ut Hippolytum puniret. Quare Neptunus e mari monstrum emisit, quod Euripides quoque in celeberrima tragoedia (*Hippolytus*) *ταῦρον ἄγριον* nominat, a quo equi Hippolyti currum agentis perterriti sunt iuvenisque curru deiectus et dilaceratus est. Cf. Ov. Fast. VI. 739—744: „Non impune pius iuvenis Troezena petebat: Dividit obstantes pectore *taurus* aquas, Solliciti terrentur equi frustra que retenti Per scopulos dominum duraque saxa trahunt, Exciderat curru lorisque morantibus artus Hippolytus lacero corpore raptus erat“. — *taurus avitus*, ab avo Hippolyti, Neptuno, missus.

V. 745. *Gnosida*, Pasiphaen, reginam Cretae, quae *Gnosts* nominatur a Gnoso, urbe Cretae; cf. adn. supra ad vs. 63.

V. 747—718. *Hecalen*, anus pauperrima, quae Theseum, taurum Marathonium domare parantem, hospitio excepit in casa sua; epyllion celeberrimum de ea scripsit Callimachus. — *Irus*, mendiculus in Ithaca ex Hom. Od. XVIII. 2—7. notus.

V. 752. *de vacuo pectore*, proleptice dictum: pectus vacuum fit amore remoto.

V. 753—754. *lotos*, tibia ex loto (*Diospyros lotos* Linn.) facta, ut Ov. Fast. IV. 190: „horrendo lotos adunca sono“. — *vox*, cantus. — *numerus... suis*, ad numeros saltationi convenientes, ad modos musicos. — *braccia mota*, ad saltationem pertinet; cf. adn. supra ad vs. 334.

V. 755—756. *Illic adsidue ficti saltantur amantes, Qua caveas*

actor, quid iuvet, arte docet, cf. Ov. Trist. II. 497—500. (de mimis): „Quid, si scripsissem mimos obscena iocantes, Qui semper vetiti crimen amoris habent? In quibus *adsidue* cultus procedit adulter Verbaque dat stulto callida nupta viro“ et Ov. A. A. I. 501—502: „Et plaudas aliquam mimo saltante puellam Et faveas illi, quisquis agatur amans“ et Iuven. II. 6, 63. sqq.: „Ledam molli saltante Bathyllo Tuscia vesicae non imperat, Apula gannit, Sicut in amplexu, subito et miserabile longum, Attendit Thymeles, Thymeles tunc rustica discit“. — *ficti saltantur amantes*, referendum ad pantomimos sive fabulas salticas, ubi saltatione et gestibus (sine verbis) acta est fabula quaedam amatoria ex mythologia Graeca sumpta. — *Qua*, ex mea coniectura; *quid*: codices; cf. praef. crit. — *caveas*, spectatores; *cavea* enim erat pars theatri, ubi spectatores sedebant. Numero plurali utitur poeta, quia in maioribus theatris locus spectatorum tres habebat partes: *caveam primam*, ubi equites, *mediam*, ubi cives honestiores, *summam*, ubi plebs infima sedebat. *Cavea* pro spectatoribus, ut Senec. Tranquill. 11, 6: „verba ad summam caveam spectantia“ et Stat. Theb. I. 423: „caveae dissensus“. — *actor*, saltator, pantomimus. — *quid iuvet*, sc. in amore. Eodem sensu Ov. A. A. III. 803: „Quid iuvet, et voces et anhelitus arguat oris“.

V. 757—758. *Eloquor invitus: teneros ne tange poetas*, cf. contraria ad puellas monita de poetis legendis Ov. A. A. III. 329—348, — *teneros . . . poetas*, eroticos, lusores tenerorum amorum, — *impius*, ingratus.

V. 759—760. *Callimachum fugito: non est inimicus amoris, et cum Callimacho tu quoque, Coe, nocet*, contrarium Ov. A. A. III. 329—330: „Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetae Musa.“ Callimachus et Philetas, principes elegiae quae dicitur Alexandrinae, ab elegiacis Romanis saepius celebrantur poeseos eroticae magistri; cf. Prop. III. 1. 1—2: „Callimachi manes et Coi sacra poetae, In vestrum quaeso me sinite ire nemus“ et ibid. III. 9. 43—44: „Inter Callimachi sat erit placuisse libellos Et cecinisse modis, Dore poeta, tuis“; Quintil. X. 1, 58: „cuius (sc. elegiae) princeps habetur Callimachus, secundas confessione plurimorum Philetas occupavit.“ — *Callimachum*, cf. iudicium de eo Ov. Am. I. 15, 13: „Battiades (i. e. Callimachus) semper toto cantabitur orbe: Quamvis ingenio non valet, arte valet“. — *Coe*, Philetas, cuius patria erat insula Cos; cf. Athen. IX. 401/e. XII. 552/b.

V. 761—762. *Me certe Sappho meliorem fecit amicae*, cf. Ov. A. A. III. 351: „Nota sit et Sappho, quid enim lascivius illa“ et Trist. II. 365; „Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas?“ Sappho, poetria lyrica Lesbia celeberrima, summa habebatur poeseos eroticae magistra. — *Nec rigidos mores Teia Musa dedit*, Anacreon, poeta vini et amoris, cuius patria erat Teos, urbs Asiae adversus Samum insulam sita; cf. Ov. A. A. III. 329—330: „nota . . . Sit quoque vinosi Teia Musa senis“ et Trist. II. 363: „Quid nisi cum multo Venerem confundere viuo Praecepit lyrici Teia Musa senis?“

V. 763—766. *Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli, Vel tua, cuius opus Cynthia sola fuit? Quis poterit lecto durus discedere Gallo*, contrarium Ov. A. A. III. 333—334: „Et teneri possis carmen legisse Properti, Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum.“ Gallus, Tibullus et Propertius, triumviri celeberrimi elegiae Romanae, una commemorantur etiam Ov. Trist. IV. 10, 50—54: „nec amara Tibullo Tempus amicitiae fata dedere meae: Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi, Quartus ab his serie temporis ipse fui.“ — *cuius opus Cynthia sola fuit*, Propertius, qui Cynthiam paene solam celebrabat elegiis. Opponitur Tibullo, qui duas celebraverat amicas, Deliam et Nemesim. Ceterum Propertius fuit Ovidii amicus intimus, quem in poesi amatoria praecipue sequebatur magistrum; cf. Ov. Trist. IV. 10, 95: „Saepe suos solitus recitare Propertius ignes Iure sodalicio, quo mihi iunctus erat“. — *durus*, i. e. non emollitus. — *Gallus*, conditor elegiae Romanae, amator Lycoridis. de quo Ov. Am. I. 15, 29: „Gallus et Hesperiiis et Gallus notis Eois Et sua cum Gallo nota Lycoris erit“. — *Et mea nescio quid carmina tale sonant*, se quoque adnumerat celeberrimis elegiacis Romanis, ut Trist. IV. 10, 50—54. supra laud.

V. 767. sc. *dux operis* . . . *Apollo*, cf. supra vss. 75—78.

V. 770. *solam*, sc. puellam tuam.

V. 771. *Hermionen . . . dilexit Orestes*, de qua re exstat epistula Ovidii Her. 8. Hermione erat filia Menelai et Helenae, sponsa Orestis a Neoptolemo, Achillis filio, rapta, quare Orestes illum postea necavit.

V. 773—774. *ibas sine coniuge Creten*, itaque occasionem dedit Paridi Helenae rapiendae; cf. Ov. Her. 16, 361. sqq. et 17, 165. sqq.

V. 777—778. *Hoc et in abducta Briseide flebat Achilles*, cf. Prop. II. 20, 1: „Quid fles abducta gravius Briseide?“; Ov. Am. I. 9, 34: „Ardet in abducta Briseide magnus Achilles“ et Trist. IV. 1,

15—16: „Fertur et abducta Lyrneside tristis Achilles Haemonia curas attenuisse Iyra“ et A. A. II. 403: „Audierat, Lyrnesi, tuos, abducta, dolores“. — *Briseide*, cf. adn. supra ad vs. 476. — *Plisthenio* . . . *toro*, i. e. lecto Agamemnonis; secundum Serv. ad Verg. Aen. I. 453. Plisthenes, frater Atrei et Thyestis, erat pater Agamemnonis et Menelai. Filios moriens Atreo commendavit, unde illi Atridae vocabantur.

V. 779. *fecit Atrides*, i. e. dormivit cum Briseide.

V. 783—784. *sibi . . . numquam tactam Briseida iurat*, cf. verba Agamemnonis Briseidem Achilli reddentis Hom. II. XIX. 261—262: μη μὲν ἐγὼ κόρυνη Βρισηίδι χεῖρ' ἐπέεικα, Οὔτ' ἐνὴν; πρόσσιν κεχρημένος οὔτε τεν ἄλλον. — *Per sceptrum*, Agamemnon apud Hom. II. XIX. 258. sqq. per Iovem. terram, solem et Furias iurat, non per sceptrum. Hanc rem igitur aliunde, fortasse ex tragoedia quadam Graeca, sumpsisse videtur poeta.

V. 789—790. *Lotophagos*, terra Lotophagorum, ex Homeri Odyssea (IX. 83—104.) nota, unde socii Ulixis, fructu loti dulcissimo degustato, in patriam reverti noluerunt; cf. Ov. Trist. IV. 1, 31—32: „Sic nova Dulichio lotus gustata palato Illo, quo nocuit, grata sopore fuit“ et Hom. Od. IX. 94: ὅστις λωτοῖο γάροι μελιγδέα καρπὲν, Οὐκέτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν οὐδέ νείεσθαι, Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοιντο μετ' ἀνδράσι Λωτοφάγοισιν Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν νόστου τε λαθέσθαι. — *illo Sirenas in antro Esse puta*, cf. Hom. Od. XII. 39—54. et 158—200. et Ov. Am. III. 311.—312: „Monstra maris Sirenes erant, quae voce canora Quamlibet admissas detinuere vates.“ — *Sirenas in antro*, quia Sirenas in litore maris inter scopulos cantare finxerunt poetae, unde Verg. Aen V. 864: „adeo scopulos Sirenium advecta subibat“ et Ov. Met. XIV. 87: „relinquit Sirenium scopulos.“ — *remis adice vela tuis*, i. e. non remorum solum, sed etiam velorum auxilio naviga; cf. Ov. A. A. I. 368: „velo remigis addat opem.“

V. 791—792. *Hunc quoque, quo quondam nimium rivale dolebas, Vellem desineres hostis habere loco*, cf. Ov. A. A. II. 539: „Rivalem patienter habe“.

V. 795. *cibos etiam*, cf. contraria monita de cibis Venerem instigantibus Ov. A. A. II. 421. sqq.

V. 797—798. *Daunius an Libycis bulbus tibi missus ab oris, An veniat Megaris, noxius omnis erit*, contrarium dicit Ov. A. A. III.

421—423: „Candidus, Alcathoi qui mittitur urbe Pelasga, Bulbus... sumantur“. — *Daunius an Libycis missus tibi bulbus ab oris*, bulbum ex Apulia post bulbum Africanum seu Libyicum laudat Plin. N. H. XIX. 95: „post hos in Africa nati maxime laudantur, mox Apuli“ — *Daunius*, ex Apulia, ubi olim rex erat Daunus, unde Apulia etiam Daunia appellabatur, ut Polyb. V. 108. — *An veniat Megaris*, intellege urbem Megaram in Isthmo, unde bulbi mittebantur optimi; cf. Ov. A. A. III. 421—422: „Alcathoi qui mittitur urbe Pelasga Bulbus“, ubi agitur de Megara ab Alcathoo condita. — *noxius omnis erit*, Athen. II. 63 e commemorat τὴν τῶν βολεβῶν πρὸς τὸ ἀρροδία δέρας.

V. 799. *Nec minus erucas aptum vitare salaces*, contrarium monitum apud Ov. A. A. II. 422—423: „ex horto quae venit herba salax Ovaeque sumantur“. Herba salax est autem eruca, quam viri docti nunc *brassicam erucam* L. vocant; cf. Priap. 47, 6: „libidinosis incitatus erucis“ et ibid. 46, 8: „Erucarum opus est decem maniplis, Fossas inguinis ut teram“, ibid. 51, 20: „salaces nocte tollat erucas“. et Iuven. III. 9, 134: „tu tantum erucis inprime dentem“ et schol. ad h. l.: „dicitur haec herba ad coitum inflammare et vires dare“.

V. 801. *acuentes lumina rulas*, Hungarice *ruta*, Germanice *Raute*, herba, de qua Pin. N. H. XIX. 134: „(Pythagoras) oculis noxium putavit: falsum, quoniam sculptores et pictores hoc cibo utuntur oculorum causa“ et ibid. 142—143: „radix rutae sanguinem oculis suffusum... illita emendat... itemque generationem impediri hoc cibo; ideo in profluvio genitali datur et venerem crebro per somnia imaginantibus“. — *lumina*, oculos.

V. 803—804. *de Bacchi munere*, de usu vini. — *expediere*, i. e. auxilium et praeceptum accipies a me; cf. Verg. Aen. II. 631—632: „Descendo ac ducente deo flammam inter et hostes Expedior.“

V. 806. *corda*, mens, cuius sedem in corde ponebant antiqui.

V. 811—812. *Hoc opus exegi*, eadem fere verba in fine Ov. Met. (XV. 871.): „Iamque opus exegi, quod non Jovis ira nec ignis Neo poterit ferrum nec edax abolere vetustas.“ Cf. Hor. Carm. III, 30, 1: „Exegi monumentum aere peremius.“ — *fessae dale sarta carinae*, *Contiginus portus*, nautae naves portum tangentes coronis ornare solebant; cf. Verg. Ge. I. 303—304: „Ceu pressae cum iam portum tetigere carinae Puppibus et laeti nautae imposuere coronas“;


Prop. III. 24, 15: „Ecce coronatae portum tetigere carinae“; Ov. Am. III. 11, 29—30: „Iam mea votiva puppis redimita corona Lenta tumescens aequoris audit aquas.“ Idem fiebat portu relicto; cf. Verg. Aen. IV. 417: „vocat iam carbasus auras Puppibus et laeti nautae imposuere coronas“ et Ov. Met. XV. 696: „Torta coronatae solvunt retinacula navis“.

V. 813. *reddetis sacro pia vota poetae*, sicut deo cuidam salutifero. — *sacro... poetae*, poetae sacri vocantur, quia in tutela deorum sunt; cf. Tibull. II. 5, 113—114: „At tu, nam divum servat tutela poetas, Praemoneo, vati parce, puella, sacro“, Hor. Carm. IV. 9, 28: „carent quia vate sacro“, Ov. Am. III. 9, 17. „At sacri vates et divum cura vocamur“; Cic. pro Arch. 18: „suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videntur“.



Corrigenda.

P. 8. vs. 151.	<i>pro</i>	uearis	<i>legendum</i>	tuearis.
P. 18. vs. 533.	"	perd tus	"	perditus.
P. 21. vs. 656.	"	Exi us	"	Exitus.
P. 27. vs. 35.	"	τῇ	"	τῇ
P. 31. vs. 18.	"	quo	"	qui
P. 32. vs. 13.	"	ῥοθιτο	"	ῥοθιτο
P. 32. vs. 21.	"	mal	"	mali
P. 32. vs. 22.	"	proverbiali	"	proverbiali.
P. 37. vs. 9.	"	spumen	"	spument.
P. 37. vs. 21.	"	paecoqua	"	praecoqua.
P. 38. vs. 8.	"	voeantur	"	vocantur.
P. 39. vs. 14.	"	inter	"	inter-
P. 39. vs. 36.	"	siquificat	"	significat.
P. 41. vs. 32.	"	αὐτη	"	αὐτῇ.
P. 44. vs. 31.	"	antem	"	autem.
P. 44. vs. 38.	"	incedi	"	incedi-
P. 47. vs. 7.	"	librun	"	librum.
P. 49. vs. 15.	"	sc	"	se
P. 49. vs. 18.	"	edae	"	edax.
P. 53. vs. 11.	"	lens	"	flens.
P. 53. vs. 37.	"	ειδῆς	"	ειδῆς.
P. 50. vs. 25.	"	eqnus	"	equus.
P. 61 vs. 35.	"	alineum	"	alienum.
P. 65. vs. 29.	"	inen icus	"	mendicus
P. 68. vs. 21.	"	οὐδε	"	οὐδε.
P. 69. vs. 19.	"	l.	"	l.



Ref. fõiskolai kõnyvnyomda Sárospatakon.